Dissertationum Germanicarum

Tom. II.

De Iure Publico Germ.ae

P. IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Elenchus Auctorum

I. de Garb | Christiani Emanuelis. | Auſtria Princeps. Id est de Auguſtiſſ. Domus Auſtriacae juribus prae=rogativis Illuſtrioribus. Lipſiae. 1736. —

II. Collectio celeberrimorum aliquot Scriptorum de — Fatis methodo fine et obiecto juris publici Sac. Rom Imperij. Lipſiae 1739. in qua

Christ. Gottl. Buderi Diatriba de Fatis Doctrinae Juris Publici in Accademiis maxime Germaniae.

Joan. Henr. Feltzij Schediaſma de Methodo juris Publici S. R. I. —

Joan. Schilteri. Diſſertatio de fine et obiecto juris publici.

praemiſſa est

Notitia uberior variorum juris publici Syſtema=tum auctore Henrici Gottleb. Francke. —

Digitized by Google

III. Hugonis | Ludolphi. | De Statu Regionum Germa=
=niae et Regimine Principum Summae Imperij
Reipubl. aemulo. nec non de uſu et Autoritate —
Juris Civilis privati quam in hac parte juris —
publici obtinet. Lipſiae 1736. —

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. D. B. V.

AVSTRIA PRINCEPS,

ID EST,

DE

AVGVSTISSIMAE

DOMVS AVSTRIACAE

IVRIBVS

PRAEROGATIVIS

ILLVSTRIORIBVS

INTVITV PRAESERTIM NEXVS

CVM

IMPERIO ROMANO-GERMANICO

TRACTATIO ACADEMICA,

QVAM

ADSPIRANTE DIVINI NVMINIS GRATIA

PRAESIDE

IOANNE HENRICO FELTZIO,

V. I. D. ET FEVD. P. P. ORD. FAC. IVRID. SENIORE,

SOLENNI ERVDITORVM DISQVISITIONI

SISTIT

CHRISTIANVS EMANVEL DE GARB,

NOBILIS DE GILBELLI,

ARGENTORATI MENSE OCTOBR. M DCC XXI.

EDITIO SECVNDA.

LIPSIAE

LITERIS IOAN. CHRISTIANI LANGENHEMII.

M DCC XXXVI


Nazionale V. E. III NAPOLI

Conte di Camaldoli

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

AVGVSTISSIMO

INVICTISSIMO

AC

POTENTISSIMO

CAROLO SEXTO,

ROMANORVM IMPERATORI,

GERMANIAE, HVNGARIAE,

BOHEMIAE etc. REGI,

ARCHIDVCI AVSTRIAE, DVCI STYRIAE, CARINTHIAE, CARNIOLAE, WVRTEMBERGIAE etc. etc. etc.

COMITI HABSPVRGI, FLANDRIAE, TYROLIS etc. etc. etc.

DOMINO, DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

AVGVSTISSIME CAESAR.

Libellum hunc qualemcunque quod ad firmatum coelitus SACRATISSIMAE MAIESTATIS TVAE *Thronum venerabundo animo aduoluere audeam,* CAESAR CLEMENTISSIME, *vel ſola, ſpero, Pietatis et Gratitudinis, iuxtaque ipſius argumenti, quod continet, excuſabit ratio. Etenim quoties modo chariſſimum reſpicio genitorem, non poſſum non ſimul quoque recordari, ex tali me prognatum eſſe parente, cuius deuotiſſimis ſeruitiis, per plurimos iam temporis praeteriti annos, apud* AVGVSTISSIMAM DOMVM TVAM *felicitatis ſors contigit plane ſingularis. Idque adeo, vt et* Magni Leopoldi *Gratiae, et* Glorioſiſſimi Ioſephi *Clementiae, inſignia dignitatum ac honorum munia humillime referat accepta. Quae ipſa inſuper poſt illorum hinc ad coeleſtia regimina diſceſſum, a* MAIESTATE TVA

ſub

Digitized by Google

ſub IPSIVS ſtatim fauſtiſſimis Imperii auſpiciis, quam gratioſiſſime pariter non ſolum relicta et confirmata, ſed et aliis atque aliis ſubinde amplioribus hucuſque ita aucta fuere beneficiis, vt vix ſit quod ad maiorem familiae noſtrae fortunam amplius audeamus deſiderare. Facile propterea intelligo, qua ſequendum mihi ſit fi[illegible] nempe, grates TIBI, CLEMENTISSIME CAESAR, debentur omnium maximae, ac immortales, eaedemque publice nunc teſtandae; vtinam vero et perſoluere poſſem ſatis dignas! Aſt quid, quaeſo, Altiſſimo DIVAE MAIESTATIS TVAE culmine in his rebus humanis vllo modo ſatis dignum? Proinde quod impraeſentiarum, tanquam ſubmiſſiſſimae gratiſſimaeque mentis teſſeram, ad IPSIVS pedes depono leuidenſe hoc Exercitii Academici ſpecimen, vel ſolius Pietatis nomine non omnino ingratum fore, perſuaſum habui; plane, cum non hecatombis modo, ſed et exiguo ſaepe tuſculo litari Dis, praeclaro intellectu, dicere ſolita fuerit antiquitas. Tum certe nec absque maxima, credo, ſceleris culpa, aliud praeter TVVMmet, POTENTISSIME IMPERATOR, Numen Ipſum, licuit quaerere, CVI vel rectius vel ſecurius praeſentis huius opuſculi commendaretur tutela; ea quippe complectentis, quae equidem nonniſi TVA ſunt PROPRIA, id eſt, Iura AVGVSTISSIMAE TVAE DOMVS AVSTRIACAE Praerogatiua. Haec vti quondam Excelſiſſimorum Maiorum Tuorum meri-

Digitized by Google

meritis primitus ſunt adquiſita; ita in SACRATISSIMA TVA MAIESTATE *bodienum fauſtiſſime continuantur, et veluti nouo indies ac illuſtriori magis magisque reſplendeſcunt virtutum factorumque fulgore. Quorum cum Hiſtoria omnis aeui ſit vbique refertiſſima, iis quidem prolixa panegyri commemorandis atque depraedicandis latiſſimus hic pateret campus; at aliis haec relinquenda. Nec enim floridam* TVORVM *aut* TVARVM *laudum famam hic referre, vel aeternum rerum geſtarum, ſceptrorum, victoriarum, triumphorum, ſingularumque virtutum, Pietatis, Candoris, Clementiae, Fidei, Iuſtitiae, Prudentiae, et illarum praecipue, qua* SACRA CAESAREA TVA MAIESTAS *cuncta agit et perficit,* Fortitudinis *inquam atque* Conſtantiae, *aliarumque innumerabilium,* NVMINE TVO *digniſſimarum, Decora, Gloriam ac Felicitatem decantare, nunc animus eſt; nec etiam par tanto molimini ſufficeret ingenium. Neque tamen ideo minus tentandum eſſe putaui, praeſtare duntaxat, quicquid tandem virium imbecillitas adhuc vnice permittere videbatur. Hinc illa mentem ſubiit conſilii ratio, vt, quae omnia et ſingula verbis condigne exprimere me nequaquam poſſe intelligebam, ea, pictorum morem imitaturus, non quidem penicillo veris ſuis coloribus ad viuum depingere, (vtpote quod pariter omnem tranſcendit operam humanam,) ſed pro parte*

ſaltem

Digitized by Google

ſaltem vtcunque velut adumbrarem. Facere hoc ipſum conatus ſum, ope Emblematicae alicuius Inuentionis, in Tabula, ad aeris inciſi inſtar, propria manu ac ſtudio, mediante calamo ſcriptorio, neſcio quidem, quo artificii ſucceſſu, elaborata, quam et vna cum hoc Tractatulo literario, TVIS, MAXIME CAESAR, *oculis quam deuotiſſime ſubiicere audeo; additis inſimul variis ingenioli mei qualiscunque Speciminibus Mathematicis, ex Arte Architectonica, partim Ciuili, partim Militari depromptis; ne videlicet turpiter ignorare videar, quod iam pridem omnibus notum eſt, nimirum, non ſolummodo Imperium Germ. omnesque* IPSIVS *Regnorum ſubditos, Optimum Principem; ſed et Apollinem cum ſuis Muſis, et quicquid denique ad elegantiorum ſcientiarum bonarumque Artium, praeſertim illarum culturam pertinet, quarum vſus tum ad inſigne Reipublicae ornamentum, tum ad neceſſariam eiusdem defenſionem egregie facere noſcuntur, habere in* TE, TVAQVE SACRATISSIMA MAIESTATE, *Auguſtiſſimum ſemper Maecenatem, Nutritorem, Promotorem ſimulatque Protectorem omnium Maximum. Accipies igitur, prout fiducia plane indubitata nitor,* CLEMENTISSIME IMPERATOR, *hoc triplex qualecunque pectoris, et gratiſſimi, et humillimi, pignus, propitioque adſpectu dignaberis, non quidem vlla meriti ſui ratione, attamen*

men connata ſaltim CLEMENTIAE TVAE *commotus virtute. Ita ſub Diuini Numinis Prouidentia aetatem omnem viuas, ac cum* Sereniſſima Familia Tua Auſtriaca *feliciſſime perennes,* GLORIOSISSIME CAESAR, *Salus humani generis, Spes Germaniae, Amor Ciuium, Timor Hoſtium! et Chriſtianum Orbem, quam diutiſſime Virtutibus, Saeculum Victoriis, Imperium Triumphis impleas!*

SACRATISSIMAE

MAIESTATIS TVAE

Deuotiſſimus atque ſubiectiſſimus

CHRIST. EMANVEL DE GARB,
NOBILIS DE GILBELLI.

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

IOANNES HENRICVS FELTZ, D.P.P.
Facultatis Iuridicae Senior.

DIſſertationis praeſentis, in qua Praeſidem honorarium acturus ſum, Auctor, DN. de GARB; *Nobilis* de GILBELLI, cum primum ductore *Dn. Gauppio*, diligentiſſimo olim diſcipulo meo, et hactenus ipſius in ſtudiorum itinerumque curſu comite, vti eruditiſſimo, ita prudentiſſimo, ad noſtram Vniuerſitatem appuliſſet; excellentes quidem illico ingenii dotes, atque profectus in Belgio iam ex doctrina praecipue *Cl. Vitriarii* acquiſitos abunde manifeſtauit, exhibita etiam a ſe conſcripta et ſub Praeſidio laudati modo Viri defenſa diſputatione *de Officio illorum, qui Legatos recipiunt*. Verum, cum interius docendi diſcendique cum Doctoribus Academicis commercium contraheret; at-

que eum in certaminibus Iuris inprimis Publici ad A. B. et aliis modo defenſoris ſtrenui, mox aggreſſoris fortiſſimi vices obeuntem audiremus; iam excellentem eruditionem cum eloquentia ſuaui connubio iunctam propius perſpicere licuit, ita, vt nemini noſtrum dubium eſſet, quin ſcripta in publicum cum laude edere, et e Cathedra ſine Praeſide defendere valeret. Quod vero de illuſtriſſimo argumento a ſe conſignatum Tractatum egregium diſcutiendum eruditis exhibiturus, Argentoratum noſtrum prae aliis eligere, atque praeſidendi mihi honorem deferre voluerit; ex eo multa mihi laetandi gratulandique materia enata eſt. Nam et Vniuerſitati Noſtrae id vel maxime erit honorificum, quod AVGVSTISSIMAE DOMVS AVSTRIACAE *Praerogatiuae ac Priuilegia* in Cathedram eius ſolennem producantur; et iucundum erit, in illuſtriſſimo conſeſſu Principum, Comitum, Baronum, et Nobilium, de ſplendidiſſima materia verba facientes auſcultare. Id quod Paci inter SACRATISSIMVM IMPERATOREM et REGEM CHRISTIANISSIMVM ante hoc ſeptennium feliciter ſancitae merito in acceptis ferimus; haec enim aditum ad nos Germanis reſtituit; vnde factum, vt ex illuſtriſſimis et ſplendidiſſimis Germaniae Familiis ciues Academicos computare poſſimus; quos omnes vndique ad Actum hunc

Diſpu-

Diſputatorium confluxuros; eo minus dubitamus, quo certius eſt, varia quoque in eo occurſura eminentia et ſingularia. Nam et SACRATISSIMO IMPERATORI HODIERNO CAROLO VI. ſubmiſſiſſima ratione dicata deprehenditur diſſertatio; et in ea, vt ſpes nos pulcherrima fouet, argumentantis vices impleturus eſt *Sereniſſimus S. R. I. Princeps*, BERNHARDVS IOSEPHVS Princeps de Meinungen *ex Sereniſſima Domo Saxonica*, nouo nuper affinitatis vinculo AVGVSTISSIMAE DOMVI AVSTRIACAE fauſto iuncta connubio oriundus, quem Principem Iuuentutis noſtrae Academicae ab aliquo iam tempore venerari datum eſt. Quibus quidem nominibus, vti frequentiſſimum omnino auditorium ſperare fas eſt; ita, qui hunc nobis honorem exhibituri ſunt, eos firmiter perſuaſos eſſe cupio, commodatae huic ſolennitati praeſentiae poenitentiam eos nunquam ſubituram. Tuum eſt, L. B. mecum *Per-Illuſtri DN. Parenti* Auctoris, *Caeſareo Conſiliario, et Vlmae, ac Auguſtae Vindelicorum Legato Reſidenti*, ex animo de filii eruditione rariori et virtutibus egregiis gratulari, totique Familiae GARBIORVM de GILBELLI perennantem in ſaecula Gratiam Caeſaream adprecari: ita Te valere iubeo. Scribebam Argentorati. D. XXIV. Sept. A. C. M DCC XXI.

PROOEMIVM.

Cum praeter alia dubio procul, maxima omnino Auſtriaci ſplendoris pars ſit, Priuilegiorum, Immunitatum, reliquarumque Praeeminentiarum Corona, quibus Archiduces coruſcant, quibusque Status Illorum publicus, reſpectu ſpeciatim Reipublicae Germanicae, abſoluitur atque inſigniter admodum diſtinguitur, adeo, vt nonnullis etiam ipſos Imperii Electores vincant; ita negari quidem nequit, eſſe quoque, qui iisdem colligendis ac ſimpliciter ſaltem recenſendis hinc inde in ſuis ſcriptis multa laude non indignam nauarunt operam; haud tamen abſque ratione mirandum eſt, vix duos vel tres reperiri, qui praedicta Iura Auſtriacorum ſingularia aliquali duntaxat meditatiuncula et ſpeciali cura, citra ineptam ſubinde rerum a ſcopo alienarum intermixtionem, cumque congruo diſcrimine rerum, quae aliqua, et quae nulla prorſus ratione quidquam in ſe praecipui continent, ſed Iuris communis ſunt, nec omiſſis e contrario, quae eo proprie ſpectant, quamplurimis obſeruatu dignis, pertractauerint, publicoque communicauerint. Prorſus vero inuenire hactenus licuit neminem, qui iſta omnia exactiori paulo ad aliorum Principum conditionem, paſſim inſtituta comparatione, differentiaeque pariter, intuitu Nexus cum Imperio Vniuerſo, indigitata ratione, expenderit, ſimulatque ad Statum Reipubl. Germanicae praeſentem propius applicauerit; multo minus, qui eadem a multifariis aduerſariorum dubitationibus atque obiectionibus, quatenus opus videtur, vindicare, contraque fortius ex fundamentis genuinis firmare peculiari ſtudio cogitauerit. Vt hinc plurima, imo difficillima, vel plane intacta, vel leui ſaltem manu tractata, aliorumque indagationi atque induſtriae adhuc deprehendantur relicta. Fuit igitur haec ipſa praeter alias, cauſa non poſtrema, cur laborem non prorſus actum vel ab aliis occupatum

nos ſuſcepturos exiſtimauimus, ſi praeſens Argumentum hocce de Auguſtiſſimae Domus Auſtriacae Iuribus Praerogatiuis Illuſtrioribus, *deſiderata, iamque praefata demum methodo, loco Speciminis alicuius Academici, miſſis et ſegregatis alienis omnibus, pertractandum ſuſciperemus, in certas et ſeparatas ſuas quaeque Claſſes ſeu Capita, quantum commode fieri potuit, relaturi. Tuum erit, B. L. hos noſtros conatus fauore tuo iudicioque benigno dignari, qui ſecus ſentientem, atque amica modeſtia legitime veriora demonſtrantem, ſponte ſequi nunquam non erimus parati. Vale!*

CAPVT I.

DE TITVLI ARCHIDVCIS PRAEEMINENTIA.

I.

QVoniam Dignitatum Ordines pro vniuscuiusque Regiminis ſeu Imperii placito inter ſe varie diſtinguuntur, variisque honorum Titulis afficiuntur, vt ex iisdem ſiue munerum genera, ſiue praecedentiae ac ſeſſionis ordo, aut peculiares ſplendoris gradus appareant, ſiue etiam quaeuis aliae ſub ipſis effectuum ciuilium, ſaepius haud parui momenti, ſpecies contineantur, et concinne diſcernantur: hinc non poſſumus non etiam ante omnia primo hoc capite praemittere ea, quae intuitu Nomenclaturae, ſiue, quam ita dicimus, Titulaturae, qua Auguſtiſſima Domus Auſtriaca inſignitur, breuiter videntur notanda. *Titulorum Dignitas in Politicis haud parui momenti.*

II.

Et quidem ſingularem omnino Familiae Auſtriacae praeeminentiam in eo ſtatim imprimis obſeruamus, quod *Soli* *Titulus Archiducalis Solis Auſtriacis*

competit in Imperio Germanico.

Soli Auſtriaci gerant Titulum Archiducum. Quod nomen in Germania tantum vſitatum eſſe, recte dicit *Chaſſan. de Glor. Mund. Part. 5. Conſid. 44.* Et nulli alii, quam Auſtriae Principibus, deberi, cuique obuiam eſt. *Wehner. Pract. Obſeru. voc.* Stand des Reichs. Etenim praeter hodiernos Auſtriae Archiduces nullos vnquam Germania vidit. Et, quanquam non defuerint, qui Ducatum ſuum in Archiducatum euehi, et Archiduces nominari voluerint. vid. *Adam. Piſetzki a Kranichfeld in Tract. Polit. Iurid. de Statu ſecul. Cap. V. p. 161. ſeqq.* ex *P. Aemilio L. 2. de reb. geſt. Francor.* et *Spiegel. in Lex. Iuris, verb. Archiducis;* nunquam tamen Imperatorem in ſua vota pertrahere potuiſſe, notat itidem *Chaſſan. loc. alleg. verſ. audiui alios etc.* et *Ioachim. Cluten in Mozzium* et *Martin. Frecciam*, qui ſcribunt: in Germania conſuetudine introductum eſſe, vt, cum Ducum Filii nominentur Duces, eorum primogenitus frater appelletur Archidux. *Limn. de I. P. L. 4. c. 3. n. 27.* add. *Knipſchild. de Nobilit. Immed. Lib. 1. c. 7. n. 16.* et *Schweder. in I. P. Part. Spec. S. II. c. 7. §. 3.* Neque etiam obſtat, quod Bruno Colonienſis Archiepiſcopus ſub Ottone M. Imperatore, adeoque iam Seculo X. vocetur Archidux in *Chronico Belgico Magno, pag. 80.* conf. *Ruotgerus Benedictinus, circa An. 1040. in vita Brunonis huius, Cap. XVII. apud Surium, die 11. Octobr. p. m. 167.* et *Dn Leibnizium T. I. Rer. Brunſuic. p. 279.* Item *Sigebert. Gemblac. An. 959. p. 583. Albericus Monachus trium Fontium, An. eod. p. 292. et ſeqq. Catal. Ducum Lotharingiae, in eiusdem Brunonis vita, ad An. 957.* licet id contendat *Roſieres in Stemmatibus Lotharingiae ad A. C. 953.* Praeterquam enim, quod hi Scriptores haud conſtanti tenore hunc Brunoni titulum attribuant, ita *Sigebertus* alibi: *Bruno Dux et Archiepiſcopus in Franciam pergens etc.* certe nondum demonſtratum eſt, nec probari vnquam poterit,

rit, quod ipſe ſibi talem titulum in vim Styli Curialis aſſumpſerit, quod ad poſteros Lotharingiae Duces transmiſerit, vel etiam, quod auctoritate ſupremi Principis ſibi collatum habuerit. Ita etiam nullum eminentiae Tituli Archiducalis, qua ille Sereniſſimae Domui Auſtriacae debetur, praeiudicium exinde timendum, quod in Friderici I. diplomate *Archiduces Palatini* nominentur, qui Palatium ſequebantur, quique idcirco aliis Ducibus non Palatinis praeferebantur. Nam diſtinguendum vtique eſt inter Archiducum appellationem *oratoriam vel arbitrariam*, ſub qua praedicti Tituli intelliguntur; et inter *ſolennem et curialem*, quae ſola conuenit Principibus Auſtriacis; ita, vt ipſi ſibi hoc axioma in titulis adſignent, quale quid in Archiducibus Palatinis haud deprehenditur. Sed et ex tenore ipſius diplomatis Friderciani ſingularis plane Ducis Auſtriae prae aliis Archi-Ducibus Palatinis Praerogatiua eluceſcit: poſtquam enim de eo diſpoſitum fuiſſet, *vt vnus de Palatinis Archiducibus cenſeretur;* additur notanter: ***et nihilominus ad latus dextrum Imperii, poſt Electores Principes obtineat primum locum.*** Sic pariter probabile non eſt, quod refert *Hieronymus Megiſerus Lib. 17. Annalium Carinthiae cap. 4.* Archiduces nimirum fuiſſe in Carinthia renunciatos iam a Carolo M. quandoquidem hoc omni veterum teſtimonio caret. *M. Henr. Kipping. in Method. nou. Iur. Publ. L. II. c. 7. §. 11.* conf. *Limn. Tom. IV. Addit. ad Lib. IV. addit. Iur. P. c. 3. §. 26. pag. 397. et ad Lib. V. c. 2. §. 13. p. 681. Pont. Heuterus Lib. de orig. Auſtriac.* quem praemiſit *Operi Rer. Auſtriac. c. 21. Boecler. Notit. Imp. Lib. VII. c. 2. Struu. Syntagm. I. P. Diſſ. XIX. §. 14. Pfeffing. ad Vitriar. Lib. I. Tit. 16. §. 9.* Licet enim negari haud poſſit, Carinthiam de facto vti

Diſtinctio primaria inter Archiducis appellationem oratoriam et curialem.

C titulo

titulo Archiducatus conſueuiſſe, et firmatam fuiſſe huius tituli poſſeſſionem ipſis Auſtriacorum Impp. et Archiducum diplomatibus; id tamen haud prius contigit, quam Auſtriaci hunc Principatum obtinerent, qui inde ſe Archiduces Auſtriae, Carinthiae inſigniuerunt; conf. omnino *Schoenleben de origine Domus Auſtriacae Part. II. cap. VII. n. 12.*

III.

Neque extra Imperium Germ. dantur Archiduces.

Vti vero alias in Germania nemini hic Titulus competit, ita nec alibi extra illam in toto orbe cuiquam eundem tribui, vllo tempore auditum eſt. Sunt quidem Magni Duces, quos appellant Groß-Hertzoge, quod nomen tempore Pii V. in Italia per accidens enatum eſt. Nolebat enim Maximilianus I. Imp. approbare Regium titulum a Papa primum Hetruriae Duci Coſmo Medices collatum, poſtea tamen eidem *Magni Ducis titulum* conceſſit. vid. *Don Garſ. Maſtrill. de Magiſtrat. cap. 4. n. 19.* Atque tales hodie quoque ſunt Magnus Dux Finlandiae, qui eſt Rex Sueciae, Magnus Dux Moſcouiae, Magnus Dux Lithuaniae, qui tamen hodie non eſt ſeiunctus a Rege Poloniae, etc. qui ob virtutem vel ditionum amplitudinem titulum Magni ſunt conſecuti. vid. *Dan. Otto de Iur. Publ. Cap. XVIII. p. m. 609. Knipſchild. de Nobil. Immed. L. I. c. 7. n. 16.* add. *I. W. Merz a Quirnheim in Spec. ſucceſſ. P. III. Sect. VII. n. 72. ſeqq.* Aſt vero differunt ſane ab Archiducibus noſtris, ipſisque dignitate valde minores ſunt Magni iſti Duces, aeque, et forſitan adhuc multo magis, ac *Supremi Duces* ita dicti, quem titulum ante Regium geſſit Fridericus III. Elector Brandenburgicus, in contradiſtinctionem Ducum reliquorum. vid. *Schwed. I. P. S. II. C. 7. §. 3. Caſp. Heinr. Hornius in Iur. Publ. C. XXXIIX. §. 3. Becmann. Notit. Dignit. Diſſert. VII. c. 3.*

Digitized by Google

IV.

De origine autem ſingularis huius dignitatis Archiducalis plurimum diſputatur : Sunt, qui ab Henrici IV. temporibus ducunt, qui Erneſtum Strenuum dixerat *Priorem.* vid. *Cuſpinianus in Auſtria p. 12.* ibi: *ab Henrico IV. Imperatore, Prior Rom. Imperii eſt appellatus, quod Chriſti fidem tam ſtrenue defenſaret, multisque eſt libertatibus ab Imperatore donatus.* Quod tamen, alii aiunt, perſonale quid ſaltim fuiſſe, neque id ipſum familiae aut terrae Auſtriacae conſtantem praerogatiuam efficere potuiſſe. Alii a Friderici I. temporibus ducunt, in cuius Priuilegio dicitur : *Si quibusuis Imperii Curiis publicis Dux Auſtriae praeſens fuerit, vnus de Palatinis Archiducibus eſt cenſendus.* vid. *Diploma Friderici I. de An. 1156.* apud *Miraeum in Cod. Donat. Belg. Lib. II. Cap. LII.* Quo ipſo tamen, iterum dicunt Diſſentientes, Titulum hunc ſolennem nondum fuiſſe collatum, verum illud tantum, vt Auſtriae Duces aequiparentur Ducibus Officialibus Palatinis, eadem Iura, easdemque teneant praerogatiuas, quod tamen cum ſingulari aliqua praeeminentia intelligendum, per ea, quae ſupra §. II. attulimus. Nonnulli a Rudolphi Habspurgici temporibus deducunt, quibus tamen non minus alii contradicunt, contendentes, Rudolphum Imperatorem Albertum filium ſuum, de Auſtriae ſaltim Ducatu inueſtiuiſſe, cum ne verbulo quidem de Archiducatu vel Titulo Archiducali in literis inueſtiturae mentio fiat. vid. *Diploma apud Fuggerum* im Oeſterreichiſchen Ehren⸗Spiegel *Lib. II. Cap. IV. p. 196.* Proinde tandem quamplurimi alii, potius a Friderico III. hanc Archiducalem Dignitatem ducendam eſſe, arbitrantur, vtpote qui primus eandem ſingulari Diplomate Sereniſſimae Domui Auſtriacae contulerit : quos inter in-

Variae Authorum ſententiae de Origine Dignitatis Archiducalis.

Opinio communior.

primis quoque eſt *Dn. Pfeffinger ad Vitriarium Lib. I. T. 16. § 9.* qui poſtquam hanc rem prolixe expendit, tandem ſummam dictorum ita exprimit, vt dicat: Fridericum I. Imperatorem retuliſſe Auſtriae Principes an. 1156. inter Duces Imperii et Archiduces Palatinos; Imperante Carolo IV. Rudolphum IV. Auſtrium an. 1360. publice Archiducem ſe ſcripſiſſe; Fridericum III. vero Imp. ſolenni demum diplomate *An. 1453. d. 6. menſ. Ian.* inſigniuiſſe omnes Auſtriacae Domus Principes Archiducali Charactere, eumque et ipſum ex Imperatoribus primum an. 1470. admiſiſſe, huncque deinceps ab aetate ipſius Filii Maximiliani I. Curiali ſtylo ita inualuiſſe, vt omnes hucusque illo ſint vſi. vid Priuilegium Friderici III. apud *eundem ad Vitriarium c. l.* ibi: *ex nunc in antea, Archiduces dici et nominari, Eorumque nomine, in futurum, perpetuis temporibus a noſtris in Imperio ſucceſſoribus et vniuerſis S. R. I. Principibus, Electoribus et aliis ita nominari et appellari, proque talibus teneri ac reputari debeant.* conf. *Dn. Obrecht. ad Monzamb. p. 27. et Dn. Kulpis ad eundem p. 226. Schwed. I P. S. II. Cap. 7. § 3.* add. *Ioh. Georg. Lairiz* im neuangelegten Hiſtoriſchen Genealogiſchen Palm-Wald, *Cap. II. § XI. Becmann in Syntagm. Dignit. illuſtr. Diſſ. 10. c. 3.*

V.

Noſtra ſententia.

Verum enimuero haec omnia non impediunt, quo minus aſſerere valeamus, quod neque ab aetate Imperatoris huius demum Origo Curiae ſtyli, quoad *Archiducalem Titulum* ducenda, ſed omnino a multis retro temporibus ſit arceſſenda; vtut quidem ipſi Auſtriaci olim iſto non conſtanter vſi ſint, ſed ſaepius ſimpliciter tantum, variante calamo pro lubitu, ac temporis ratione, Duces ſe ſcripſerint, neque etiam propterea ab aliis eundem adeo ſtricte requiſiuerint. Imo adhuc in Priuilegio Caroli V. et aliorum ſequentium Imperatorum ſaepius ſimpliciter

pliciter tantum appellatur der Hertzog, quo tempore tamen dubium non eſt, iam pridem ſolenniter introductum fuiſſe titulum iſtum *Archiducis.* Etenim, praeterquam quod olim non ſemper et vbique omnes Titulorum alicui competentium apices, tam ſcrupuloſe, ac hodie, obſeruati vel exacti fuerint, atque ſic ad omnimodam iſtius Tituli negationem, ſeu non competentiam, quoad omnem vſum curialem, argumentum certum minime formare liceat, negari ſane non poteſt, quosdam Auſtriae Duces iam diu antea Archiducis Titulo fuiſſe vſos, prouti praeter alia monumenta ex Leopoldi ſigillo de an. 1300. apud *Fuggerum Lib. III. c. 3. p. 285.* videre eſt, in quo Leopoldus *Archiducem Auſtriae* ſe nominat. Neque eſt, vt quis cum *Dn. Struuio in Collegio Manuſcripto de Statu Auſtriae,* iure ſibi perſuaſum habere queat, quaſi hoc, ſimul atque alia eiusmodi documenta, quae hanc in rem adduci poſſunt, plane aliud nihil probent, quam, quod quidem iam olim Auſtriaci hunc titulum Archiducalem propria ſaltem authoritate ſibi arrogauerint, interim tamen ille neque ab vllo Imperatore ante Fridericum III. ipſis vnquam conceſſus, neque etiam ab aliis tributus, atque ſic antea non *Curialis*, ſed tantummodo Titulus *priuatus* fuerit. Nam primo notum eſt, nemini vti hodienum, ita antiquioribus praeſertim temporibus, nouos dignitatis titulos propria authoritate ſine Imperatoris conſenſu, ſiue expreſſo, ſiue ſaltim tacito aſſumere licuiſſe; credere vero fas eſt, Principes Auſtriacos, ſi non primo, certe tamen altero modo iam dudum ante Fridericum III. longa conſuetudine, atque tacita ſaltim Imperatoris ac Imperii Procerum approbatione, ſicque omnino ſatis legitime Titulum ſolennem Archiducum acquiſiuiſſe, et ita quoque nominatos, proque talibus publice habitos ac reputatos fuiſſe. Id quod ſane ex ipſo Friderici III. Priuilegio

Refutatio opinionum aduerſantium.

In verum Priuilegii Fride-

rici III. Imp. ſenſum curatius inquiritur.

legio probari poteſt, vbi haec expreſſa verba habentur: *Volumus etiam, et de praefata Caeſarea poteſtate ſtatuimus et decernimus, diſtricte praecipiendo, mandantes, quod praefati principes Domus noſtrae Auſtriae, noſtrique et eorum haeredes et ſucceſſores, quibus Styriae, Carinthiae et Carniolae Ducatus in Gubernationem obtigerit, ex nunc in antea ARCHI-DVCES dici et nominari et appellari proque talibus teneri et reputari debeant, cum omni honore, dignitate, priuilegio, praeeminentia, et aliis excellentiis ac praerogatiuis, prout NB.* ***progenitores noſtri id ab antiquo laudabiliter acquiſiuerunt, et ad nos eſt deductum, et nos huc vſque nominati, tenti ac reputati ſumus*** *etc.* Ex quibus vltimis potiſſimum verbis clariſſime pateſcit, Titulum Archiducalem Auſtriacis dicto diplomate non demum nouiter a Friderico collatum, ſed potius tantum confirmatum fuiſſe, non quidem abſolutae neceſſitatis, ſed ſaltim maioris euidentiae gratia, quoniam forte eo tempore, nonnulli Domui Auſtriacae minus fauentes in dubium vocare perperam auſi ſunt eiusdem Dignitatis ſeu *Titulaturae* Excellentiam, licet illa ipſi iam diu ante legitimo modo acquiſita fuerat atque competierat, conf. *Dn. Obrecht. ad Monzamb. p.27.* et *Kulpis ad eundem p.226.* et *Iacob. Brunnemann. I.P. Diſſert. VIII. §. 4.* Vnde porro ſimul quoque apparet, mirandam ſane eſſe praedicti *Dn. Struuii* interpretationem germanicam in *alleg. loc.* quando ſcilicet ait: *ex nunc in antea* ſignificare idem ac **von nun an ins künfftige ſolten die Hertzoge von Oeſterreich dieſe Würde erſt haben und führen**, cum ea penitus incongrua ſit, ac manifeſto pugnet cum genuino ſenſu verborum eiusdem Priuilegii ſtatim ſubſequentium, atque modo hic adductorum. Neque melior eſt illa, quam tradit *Dominus*

minus Lunigius, qui integram iſtius Diplomatis formulam Germanici Idiomatis ſuppeditat, vid. eius *Contin. I.* des Reichs-*Archivs*, Achter Abſatz. *§. 24. p. 33. etc.* Non enim haec verba: *ex nunc in antea*, in vim excludendi tempora antecedentia accipi poſſunt, cum ſtatim ſubiungatur: *prout* ante haec *ab antiquo etc.* Imo potius dicendum eſſe videtur, ſiniſtram plane hactenus Diplomati noſtro contigiſſe interpretationem, ſiue etiam craſſiſſimum eidem errorem, vel incuria typographorum, vel negligentia ſcriptorum, tractu temporis hic irrepſiſſe, qui aut loco voculae *in*, debuiſſent *vt*, aut denique vtramque ponere; cuiusmodi ſimile quid occurrit in Priuilegio Friderici II. vbi Imperator hac ipſa dictione vtitur, declarans, quomodo Friderico Auſtriae antiqua ſua Priuilegia confirmet ob duplicem cauſam, tum ob merita et ſeruitia grata, quae et ipſi et Imperio eousque fideliter ac deuote iam exhibuerit, tum etiam quae adhuc exhibiturus ſit, NB. *vt in antea*, gratiora, apud *Lunig. loc. alleg.* Vbi ſane extra omnem dubitationem videtur eſſe, particulam *antea*, pro natiua ſua efficacia, reſpicere tempus antiquiſſimum, adeoque diu praeteritum, nec futurum; quippe Imperatoris mens nulla alia inde patet, quam quod ſeruitiorum Auſtriacorum continuationem *ſequentis temporis* voluerit notare atque comparare *ad antecedens.* vid. omnino *Strauch. in Lexic. Particular.* voc. *ante n. 13.* et voc. *antea n. 2.* item formul. Nun hinführo: Nun hinfürter, *pag. 148.* et *Richter de Significatione Aduerb. in Iure pag. 45. n. 48.* Vt itaque mentem noſtram circa hoc argumentum clare et in compendio tamen exhibeamus, arbitramur, iam Fridericum I. videri conceſſiſſe axioma Archiducale, quando Henricum Marchionem Auſtriae creauit Ducem, omnibus aliis Ducibus eminentiorem poſt Electores, vt

ſupra

ſupra retulimus, ab eo tamen poſteros Henrici ex modeſtia et ad declinandam euitandamque, inuidiam abſtinuiſſe; fuiſſe autem confirmatum vel innouatum hunc titulum a Carolo IV. Imp. quando Rudolphus IV. Auſtriacus (filius primogenitus Alberti Sapientis ſiue Contracti, nepos Alberti I. Imp. pronepos Rudolphi Imp.) filiam eius Catharinam ſibi matrimonio copulauit, quod factum Anno Chriſti M CCC LX.

VI.

Vſurpationem huius Tituli quam aegerrime in aliis ferunt Auſtriaci.

Caeterum adeo plane Praerogatiuae huius tenaces ac amantes ſunt Auſtriaci, vt nulli alii Principi, ſiue in ſiue extra Imperium, cum eorum pace, aut imo ſine grauiſſima eorum offenſione, Archiducis Titulum vſurpare, vel de facto ſibi arrogare liceat; conferantur quae ſupra dicta §. II. de familiis, quae huius tituli ſplendorem fruſtra ambiuerunt. Vnde, ſi alii eundem ſibi arrogare velint, illi id inter iuſtas belli cauſas computare haud verentur.

VII.

Omnes Auſtriaci Principes, etiam Apanagiati hoc Titulo vtuntur.

Denique obſeruare licet, quod, ſicuti alias Principes apanagiati ſaepius non titulo regali, verum interim inferiori tantum charactere vtuntur, donec illum demum, primogenito eiusque deſcendentibus defunctis, vna ſimul cum Imperio ſeu Regimine ipſo iure acquirant et actu ſibi adſcribere poſſint, *Beſold. I. Diſſ. nom. cap. 5. per tot.* ita Auſtriaci e contra Principes non tantum omnes Titulo Archiducum compellentur; ſed et ipſae foeminae, etiamſi extraneae familiae nubant, veniant nomine Archiduciſſarum, ceu teſtantur ſtyli paſſim Cancellariarum; vt adeo huius Titulaturae honor atque dignitas omnibus et ſingulis perſonis, vtriusque ſexus, ex familia Auſtriaca oriundis, ſit in perpetuum communicatiua. Id quod tamen haud ſtatim ab initio obtinuiſſe (cum tempore Caroli

Nec non foeminae ipſae.

Item nunquam extinguibilis, ſed

roli IV. e. g. Rudolphus IV. vt primogenitus, ſolus ſe Archiducem ſcripſerit, et poſt mortem eius, frater eius Leopoldus titulum hunc vſurpauerit) ſed Friderici III. quem alii IV. vocant, diplomati de An. 1453. de quo ſupra, ex parte deberi, ſolide probat *Schoenleben d. Tract. Part. II. Cap. VII. §. 15. et 16.* imo tandem ad quoscunque etiam alios Terrarum Auſtriacarum ſucceſſores, pro voluntate ac diſpoſitione ſaltem vltimi ex Auſtriaca gente haeredis, tranſitoria et nullo tempore extinguibilis; ſecus ac contra ipſum tenorem ac vim priuilegiorum Auſtriacorum nouiſſime ſed peruerſe opinatur *M. Zſchackwiz I. P. L. III. Cap. I. qu. 4.* conf. *Schwed. I. P. P. S. S. I. C. 7. §. 1.*

ad quoscunque ſucceſſores tranſitorius.

CAPVT II.
DE
IVRE PRAECEDENTIAE ARCHIDVCVM, ALIISQVE PRAEROGATIVIS EO SPECTANTIBVS.

I.

Cum Archidux ex graeco ἄρχων et latino formatum, Ducum Principem notet, quod et germanicum, nomen **Ertz-Hertzog** indigitat, voce **Ertz**, aeque ac graecum ἄρχων, eminentiam deſignante, talemque perſonam, quae dignitate et familia caeteris Principibus gaudet maiori atque illuſtriori; hinc quoque iam ſponte videtur ſequi, illos omnes reliquos Duces ac Principes debere praecedere, ſicuti v. g. Archiepiſcopus eſt ſupra Epiſcopos, ſeu Summus Epiſcoporum, *Rumelin. ad A. B. P. III. Diſſ. I. Th. X. Mozz. de Feud. tit. de his qui Feud. clar. poſſunt. n. 66. verſ. reperitur.* Id quod etiam pridem iam a Friderico Barbaroſſa Imperatore, ſpeciali Priuilegio tributum Auſtriacis eſt, vbi ipſis priorem Ducalem Titulum confirmare

Archiduces vel ob ſolam tituli praeeminentiam regulariter aliis Principibus praecedunt.

Speciali tamen Priuilegio etiam ab Imperatori-

bus illis hoc tributum eſt.

et Henricum Ducem in Curia Imperatoris pro Palatino Archiduce (Pfaltz-Ertz-Hertzog) et inter Palatinos Archiduces pro primo poſt Electores haberi voluit, vt teſtatur eiusdem Friderici Priuilegium, *apud Fuggerum in Spec. Auſtr. L. II. C. 2. pag. 68. ſeqq.* ibi: *Si quibusuis Imperii Curiis publicis, Dux Auſtriae praeſens fuerit, vnus de Palatinis Archiducibus eſt cenſendus; et nihilominus in conceſſu et inceſſu ad latus dextrum Imperii poſt Electores Principes obtineat primum locum*, quod germanice ita exprimitur: daß ſie in Reichs-Verſammlungen als Pfaltz-Ertz-Hertzoge ſollen gehalten werden, und im Sitz und Gang zu der rechten Seiten des Reichs, die erſte Stelle nach denen Churfürſten behalten. *Gylman. Dec. Cam. dec. 54. num. 59. Schwed. I. P. P. S. II. C. 7. §. 7.*

II.

Non tantum caeteros Imperii Principes poſt Electores antecedunt, ſed et Regibus, vti Electores, ſe aequiparant, imo his ipſis certa ratione praecedentiam dubiam reddunt.

Neque vero tantum Archiduces Auſtriae inter reliquos Imperii Principes poſt Electores primas tenent; ſed et, vt Electores, Regibus ſe aequiparant; quin imo haud absque ratione illis, ſcil. Electoribus, quodammodo ſe praeferunt, et proëdriam ipſis in dubium vocant, quo pertinet exemplum, de quo teſtatur *Zwanziger in Theatro praecedentiae Tit. 51. pag. 130. ibi:* Als über dieſem Streit das Exempel zwiſchen dem Ertz-Hertzog Carlen und dem Churfürſten in Sachſen Friderich Auguſt Anno 1695. zu Wien obhanden, da der Ertz-Hertzog zwar dem Churfürſten die erſte Viſite, und der Churfürſt hergegen Ihme die Reviſite gegeben, und ſich unter einander de pari tractirt haben, bey der Tafel aber, und in loco tertio, da der Churfürſt war, iſt der Ertz-Hertzog nie erſchienen. *Praeſertim, poſtquam Fridericus II. Imp. Fridericum II.* Auſtriae Ducem ſingulari Diplomate an. 1545. reuera ad regale ſolium euexit. Extat Diploma *apud Petrum de Vineis Lib. VI. Cap. XXXI.*

Imprimis, poſtquam ad Dignitatem Regiam fuerunt euecti.

Epiſt.

Epiſt. 26. pag. 740. 741. Goldaſt. Conſtit. Tom. I. f. 85. et 305. Cuſpinian. ad An. 1245. p. 623. Oliuarium Fredium de Sigillis Flandriae Comitum Vol. II. p. 3. Fuggerum Lib. II. C. 3. p. 181. Cuius haec verba huc pertinent: *De Principum Conſilio Ducatus Auſtriae et Stiriae cum pertinentiis et terminis ſuis ad nomen et honorem regium transferentes, Te hactenus Ducatus ducem de poteſtatis noſtrae plenitudine promouemus in regem etc.* Ius enim Reges creandi, quod Imperatori Rom. a primis incunabilis Imperii R. G. ſemper competierit, negari nequit. vid. *Sixtin. Regal. C. 2. n. 15. Choppin. de Doman. Franc. L. 3. Tit. 26. n. 5. Nitſch. in Comment. ad Cap. Ioſeph. art. 43. §. 1. Schwed. I. P. P. S. S. I. C. 7. §. 1.* Nec quidquam obſunt ea, quae affert *Ludwig in Diſputatione ſua de Iure appellandi Reges C. 2. p. 106. 107. 108.*

III.

Vtut Titulo Regis hactenus ſibi temperauerint;

Et, licet quidem hoc Titulo regio Auſtriaci omni fere tempore hactenus, ad declinandam forte inuidiam, quam absque hoc ipſorum virtutem plus nimis vbique comitari videbant, ſponte abſtinuerint; haud tamen nullum plane exemplum proſtat, quo oſtendi poſſit, ipſos hoc iure ſuo aliquando vſos fuiſſe; quo omnino pertinere videntur nummi a Maximiliano I. cuſi, vbi ſe plurium Prouinciarum Germaniae Regem appellat, cuiusmodi in Gazophylacio Caeſaris adhucdum reſeruatos videre licet. Neque dubitandum, Auſtriacis Principibus hodienum facultatem liberam eſſe, actu hoc axiomate ſiue Titulo regio vtendi, vbi et quandocunque modo voluerint; quemadmodum quoque hodienum reapſe mitram ſuam Archiducalem Regis Diademate ornant, vigore Priuilegii a Carolo V. Auſtriacis dati *Art. 7.* Equidem *Nitſchius l. c.* ex *Münſteri Coſmographia L. III. c. 406.* et *Choppin. de Doman. Franc. L. II. C. I. n. 17.* refert, Ducem Auſtriae Frider. II.

Liberum tamen Ipſis ſine dubio eſt, eodem, vbi et quandocunque voluerint, uti.

Regem quidem creatum eſſe a Friderico II. Imp. ſed mox tamen illa dignitate, ab eodem anno vndecimo poſtea iterum fuiſſe priuatum, ideo, quod Comitiis Germaniae contumaciter intereſſe noluiſſet. Aſt, falſum hoc eſſe, vel inde patet, quoniam Imperator ne quidem hoc facere poterat, cum iam tum temporis Principes Auſtriaci per Priuilegium Friderici I. Imperatoris, a neceſſitate in Comitiis comparendi exempti fuerint. *vid. infra Cap. III.* Cumque adeo Imperator eos propterea puniendi ius nullum habuerit; veroſimile etiam minime eſt, id vnquam facere ſaltem voluiſſe, praeſertim, cum inſuper ex nullo publico atque genuino documento hac de re quidquam conſtet.

IV.

Archiduces Seſſionem in Comitiis habent in ſcamno Eccleſiaſtico, ante ipſos etiam Archiepiſcopos.

Illud autem apprime obſeruandum hic eſt, Auſtriacos a ſecularibus Principibus in ſcamnum Eccleſiaſticum conceſſiſſe in Comitiis Imperii, atque ibidem primos locos occupaſſe, ſicque adeo ipſos Archiepiſcopos praecedere. vid. *Reinking. de R. S. et E. Lib. I. Cl. 4. c. 10. n. 4.* et *Cocceius in I. P. Prud. C. XV. Sect. II. §. 15.* Quod vtique ſingularem ſaltem praeeminentiam illorum prae ſe fert, quidquid nonnulli circa diſſidia, quae de proëdria Auſtriacis olim cum aliis Principibus, imprimis Boioariae Ducibus, interceſſere, alias ſentiant; vtpote in qua cauſa Auſtriaci nihilominus optimo ſuo iure vicerunt, primasque hactenus obtinuerunt. vid. *Author* der Grundfeſte des H. R. Reichs, *Part. II. c. 5.* add. *Reſponſum ſiue Diſcurs*, warum jetzige Hertzoge von Oeſterreich, ſo wohl regierende, als nicht regierende, dem Hauſe Bayern an der Stell und Seſſion zu weichen nicht ſchuldig ſeyn.

Diſſidia olim de Praecedentia cum aliis quoque imprimis Boioariae Ducibus notanda.

V.

In Collegio Principum cum Archie-

Pariter Auſtriaca Domus in ſacrorum Antiſtitum ſcamno ſedens impediri non potuit, quo minus Caeſarum iudicio

ſpartam

Digitized by Google

ſpartam ſimul occuparet Directoris: ita enim litem, quae cum ipſo Archiepiſcopo Salisburgenſi quondam Auſtriacis erat de Praecedentia et rationibus Directorii, a Carolo V. demum compoſitam fuiſſe, vt alternis vtrique vicibus vterentur, tam in Proëdria, quam in Directorio, teſtantur *Mameranus Diſput. de Inueſtitura Electorali. Author* des Berichts vom Reichs-Tage, *Cap. 5. Lebman. Lib. VII. Chron. Spir. c. 12. n. 6. Cruſius Lib. IV. C. 6. n. 8.* Sic tamen, vt Auſtriacus quibuslibet Comitiis initium faciat. Grundfeſte *P. II. C. 3. pag. 120.* add. *Monzamb. de Stat. Imp. C. II. §. 3. Schwed. in addit. ad Rumelin. P. II. Diſſ. III. §. XVIII. Triller de Actionibus per indirectum expedientibus*, ſeu ſonderbahren Staats-Streichen, *pag. 470.* Primae etiam hodie vbique tam in, quam extra Curiam Imperialem prae Epiſcopo Salisburgenſi ſolent Auſtriacis deferri, quoties huic viciſſitudinario iuri locus eſſe nequit. *Limn. Tom. IV. Iur. Publ. ad Lib. 4. Cap. 9.* add. *Bilderbeck* im Teutſchen Reichs-Staat *V.* Theil *S. II. Cap. II. §. 10. Kemmerich. in Introd. ad Ius Publ. Lib. I. Cap. I. §. 52.*

piſcopo Salisburgenſi ius alternatiuum exercent, tam ratione Directorii, quam proëdriae.

Sed alias tamen primae vbique deferuntur Ducibus Auſtriacis.

VI.

Praeterea merito Archiduces neque Regiis, neque Electoralibus, multo minus Rerumpublicarum Legatis loco cedunt. Etenim et ipſi quoque, ceu ſupra demonſtratum eſt, Regali dignitate ſimul atque potentia pollent. Nam conſtat, quod non ſolum iam inde ab antiquiſſimis temporibus, Auguſtiſſimae huic Familiae Regius plane reſpectus atque honor tributus, Regiamque Coronam, vti iam dictum, in Mitra ſua Archi-Ducali geſtare conceſſum ſit; ſed et non parum conſiderandum, quod Primogenitus Auſtriae Princeps immediate ſimul in plura Regna, ſubinde caſu exiſtente, per haereditatis modum ſuccedat. Sic etiam, quod ad Reſpublicas attinet, notum eſt, in Imperio noſtro Germanico Legibus publicis

Nullius Regis, vel Electoris, multo minus Reipublicae Legatis cedunt.

cis expreſſe conſtitutum atque introductum eſſe, vt Electorum Legati, omnium Rerumpublicarum liberarum, etiamſi integra regna poſſideant, et caeterorum Principum praeter Regum horumque viduarum ac Regiorum Pupillorum Legatis praeferantur. vid. *Capit. Ioſeph. Art. 5. et Moderni Imperatoris glorioſiſſime regnantis Caroli VI. Art. 3.* add. *Diſputationem noſtram de Officio illorum, qui recipiunt Legatos, ſub Praeſidio Celeberrimi Dn. P. R. Vitriarii, Praeceptoris quondam mei ſumme venerandi, iamque inter Coelites habitantis, Lugduni Batauorum An. 1719. die 20. Dec. habitam, Cap. IV. §. 15.* item *Ioh. Klein Diſput. de Praerogatiuis Principum Electorum C. II. n. 40. ſeqq.* Cum vero iam ex Priuilegio Friderici I. Barbaroſſae Archiduces Electoribus omnimodo ita ſint aequiparati, vt ratione inprimis Praecedentiae, nullo reſpectu habito ad alios quoscunque, paribus cum iis priuilegiis gaudere, eosque immediate ſequi debeant; hinc et ſponte fluit, quod illorum Legati aeque minus ac Electorum, tam Rerumpublicarum quam Regum Legatis cedere teneantur. Quod plane tanto magis de Archiducibus regentibus certum putamus, cum et Apanagiati, quos appellant, Auſtriae Principes ſemper quoque Electores immediate ſequi ſoleant. Vnde etiam, cum tempore matrimonii Friderici IV. Palatini, cum Louiſa Iuliana, Principis Wilhelmi Auranienſis filia, contrahendi, inter Venetorum et Auſtriacorum Legatos controuerſia Praecedentiae Lugduni orta, atque Venetus primum locum Auſtriacis diſputare conatus eſſet, hi de hoc ipſo veluti grauiſſima iniuria conqueſti ſunt. *Bilderbeck. l. c.* Et in ſpecie hic adhuc ſingulariter notandum, quod Legatus Venetus quondam cedere quidem voluerit *Archiducibus*, non tamen *Electoribus*, de qua Controuerſia Praeced. Electorum cum Republica Veneta vid. *in ſpecie Zwanziger*

ziger in Theatro Praeced. P. I. C. 25. et Diſputationem meam loc. alleg.

VII.

Sequitur ex antedictis porro, quod, licet quidem hodie in Imperio noſtro Germanico clariſſimis verbis *Capit. Caeſ. nouiſſ. art. all. 3.* expreſſe diſpoſitum ſit, vt Legati Electorum praecedant in genere, et *ſine diſtinctione*, omnibus Principibus, etiam in perſona praeſentibus: tantum tamen abſit, vt dicere ſalua veritate queamus, iſtud quoque quoad Principes Auſtriacos valere, ſeu intelligendum eſſe; vt potius inde eo firmius ſaltem concludere liceat, horum Legatis, aeque ac Electorum, idem Praecedentiae ius reſpectu caeterorum Principum competere, ita quidem, vt, prout Electorum Legati ſuos Principes repraeſentando caeteros Principes non Electores, ita ſimiliter Legati Archiducum eosdem praecedant. In quo igitur Archiduces Auſtriae iterum ab aliis Principibus inſigniter diſtinguuntur, vtpote quorum Legati praeſentibus aliis Principibus, praecedentiam diſputare non poſſunt; propterea, quia nempe, licet Legatus perſonam ſui Principalis repraeſentet, et inde in locum eius ordinarie ſuccedat; nihilominus tamen in huiusmodi Legato Maieſtas Principis tantum adumbrata, in praeſenti autem Principe Maieſtas eius oculis ſubiacet; vnde etiam merito abſentis Legato praefertur; quod ipſum latius demonſtratum dedimus *in Diſputatione noſtra de officio illorum, qui recipiunt Legatos Cap. IV. §. XIII.* conf. *de Praecedentia Archiducum in ſpecie Schweder. I. P. P. S. S. I. C. 10. §. 14. Cruſius de Praecedentia lib. IV. C. 6. p. m. 626. etc. Beſoldus Theſaur. Pract. voc.* Ertz-Hertzog. *Rumelinus ad A. B. Part. II. Diſſ. 2. §. 4. Lit. A. in addit. Zwanzig. Part. I. Theatri Praeced. Tit. 51. p. 129. et Part. II. Tit. 9. p. 97. etc. Europ. Heroldt Tom. I. Tit. II. 2.* Abſatz. *I. Punct. pag. 405. etc.*

Diſpoſitio Capitulationis Caeſ. Nouiſſ. quoad Praecedentiam Legatorum Electoral. prae Principibus, non tangit Archiduces Auſtriae.

Imo potius inde illorum Legatis quoque non minus ac Electoralibus, idem Praecedentiae ius attribuendum.

Quo ipſo Archiduces Auſtriae ab aliis Principibus etiam inſigniter diſtinguendi.

Digitized by Google

CAPVT III.
DE
EXEMPTIONE ARCHIDVCIS AVSTRIAE A COMITIIS IMP. HORVMQVE DECRETIS ET CONSTITVTIONIBVS.

I.

Libertas Archiducis comparendi in Comitiis Imperii vel non.

Ratione Comitiorum omnium maxime ſe ſtatim exſerit Praerogatiua Ducum Auſtriacorum prae caeteris Principibus, ac Statibus Imperii, in eo, quod impune Comitiis abeſſe, neque ab Imperatore compelli poſſint, vt illa accedant, vbicunque locorum conſtituantur. Idque Diplomate Friderici II. ibi: *Dux etiam Auſtriae non tenetur aliquam Curiam accedere, edictam per Imperium, ſeu quemuis alium, niſi vltro, et de ſua fecerit voluntate.* vid. *Fugger. L. II. Cap.2. et Dn. Pfeffing. Comment. ad Vitriarium Lib. I. Tit. VI. §. 9. Lit. a.* Quod quidem

Cuiusmodi aliis principibus adeo nunquam competit.

Priuilegium ita prorſus nulli alii Reipublicae Germ. membro competit, vt potius omnes et ſinguli reliqui Ordines legitime vocati, vi nexus, quo Imperio, ac virtute obſequii, quo Imperatori, vtpote cuius etiam ſolius eſt, Comitia vniuerſalia, obtento tamen prius hodie Electorum conſenſu, indicere, ſunt obſtricti, comparere obligentur.

II.

Vt potius olim neceſſario in perſona regulariter omnes venire obſtricti fuerint.

Et, cum quidem olim Principes ipſi neceſſario deberent venire, nec alii nomine eorum admitterentur, non ſolum, quia priſcis ſeculis adſtrictius regebantur, ſed et, quod ius Legationum Statibus adhuc denegabatur nec illi in communionem ſummae Maieſtatis, manifeſta ac indubitata ratione, ſicut hodie recepti erant, et imo, ſi antiquiora tempora reſpiciamus, non multo maiori, quam

Conſi-

Conſiliariorum, authoritate pollebant; hinc et inter praecipua priuilegia iam tum fuit relatum, ſi quando neceſſitas iſta ab Imperatore remittebatur, id quod iuxta alia ipſo quoque Auſtriacorum exemplo probat *Monzambano de Stat. Imp. Cap. V. §. 25.* et *Kulpis in Comment. ad eund.* add. *Caſp. Henr. Horn. Iur Publ. Cap. XLV. §. 5. Wurmſer. Exercit. Iur. Publ. Exerc. VII. Th. VI.*

III.

Id quod hodie tam ſtricte amplius in vſu non eſt.

Quamuis autem poſtmodum, et praeſertim a Maximiliani I. regimine aliter ſe res habere coeperit, adeo vt, quemadmodum in vniuerſum circa Ordinum Imperii conditionem mutatio ingens magis magisque facta, ita antiqua iſta obligatio tam ſtricte in vſum deducta hactenus amplius non obſeruata ſit; quippe hodie Status alternatiue ita vocari ſolent, vt vel ipſi, vel ſaltim per ſuos Legatos compareant. Interim additur tamen clauſula, vt non tantum, ſi propter impedimenta iuſta prius fieri non poſſit, Miniſtros ſuos ſufficienti mandato inſtructos mittant, per *Receſſum Imperii de Anno 1549.* ibi: Die, ſo nicht erſcheinen können, ſollen ihre vollmächtige Bottſchafft und Gewalthabere mit vollkommner Gewalt gewißlich ſchicken: add. *Receſſ. Imp. de A. 1542.* §. auff welchem Reichstag ꝛc. ſub comminatione, quod ſi hoc non fiat, futurum ſit, vt nihilominus pariter, ac ſi praeſentes fuerint, Decretis Comitialibus obligentur, hac fere formula. D. L. oder du erſcheinen alsdann oder nicht, ſoll doch mit andern zum Beſchluß gehandelt werden, und D. L. verbunden ſeyn, was alſo beſchloſſen, zu leiſten. addatur peculiaris conſtitutio in *Receſſ. Imp. de A. 1500.* Wie man mit etlichen Ständen ꝛc. verb: Nachdem auch etliche ꝛc. vid. *Herden* Grundfeſt des H. R. Reichs *Part. I. Cap. VI.* conf. *Reform. Frid. III. de A. 1443.* quae clauſula comminatoria ordinarie literis voca-

Adeſſe tamen tenentur per ſuos Legatos, ſub poena ordinarie conſtituta.

Google

toriis inſeri ſolet; idque iam dudum, et quidem tempore Friderici III. ex Imperii vſu fuit, qui Imperator, cum Status Imperii A. 1487. in Comitiis Norimbergenſ. concluſionem feciſſent, annexa hac proteſtatione: Doch damit denen, ſo theils von den Ständen nicht erſcheinen, nicht vorgegriffen werde, replicabat: Daß es im Reich alſo Herkommen, wann auf einem Reichstag etwas beſchloſſen, daß ſolchem die Anweſende ebenfalls zu gehorſamen ſchuldig. *Lehm. Chron. Spir. Lib. VIII. Cap. 118. pr.* add. *Auth. de Comit. Auguſt. Cap. I.* Sed et abſentiae Principalium ſuorum cauſas idoneas Imperatori humiliter exponant, per *R. I. de Anno 1512. §.* Es ſollen auch die Churfürſten ibi: Perſönlich oder durch Ihre vollmächtige treffliche Bottſchafft, wo ſie in eigener Perſon zu erſcheinen, redliche Hinderung hätten, die Sie bey ihrem Glauben mit Brieff und Sieglen betheuren ſollen ꝛc. Ad quorum vero neutrum, ſcilicet, vt vel per Legatos ſuos compareant, aut abſentiae ſuae in Comitiis rationes quocunque modo allegari curent, itidem Auſtriaci tenentur.

Similiter et abſentiae Principalium ſuorum cauſas idoneas humiliter exponere debent Legati.

Ad quorum vero neutrum e contra Archiduces obligentur.

IV.

Atque hoc adeo liberum Auſtriacis eſſe exiſtimamus, vt ne quidem in extrema Reipublicae neceſſitate, vel Ipſi, vel mediantibus Legatis ſuis ad Congreſſus Comitiales venire obligentur; quo caſu tamen e contra non dubitandum, quin Caeſar reliquos Imperii Ordines etiam ad perſonalem comparitionem non tantum ſerio hortari, ſed et ſub grauiſſima poena extraordinaria et amiſſione omnium Regalium feudorum et Immunitatum etc. adigere queat. Quemadmodum notum eſt, Anno 1529. ad Comitia Spirae habita, vniuerſos Status ita conuocaſſe Carolum V. vid. *Herden Part. I. Cap. 6. Kulpis ad Monzamb. l. c.* etiamſi quidem regulariter alia poena expreſſe

Ampliantur dicta etiam quoad caſum extremae neceſſitatis publicae; quo tamen reliquos Status vel Principes etiam ad perſonalem comparitionem ab Imperatore adigi poſſe, omnino videtur, ſub poe-

preſſe definita non ſit in emanentes, quam, ceu ſupra dictum, vt praeſentium Conſtitutionibus aeque ligentur, per *all. R. I.* Nam in hunc etiam finem vtique ipſi Principes et Status Imperii Poteſtati Imperatoris tanquam reſeruatum hactenus reliquiſſe videntur, vt nimirum, communicato prius, modo res hanc moram ferat, cum Electoribus conſilio, ſi res arduae adſint, et negotii grauitas *perſonalem* eorum praeſentiam poſtulet, ſub tali quoque poena ad Comitia praeciſe *perſonaliter* vocare poſſit; per *Receſſ. Imp. de A. 1522. §.* **Und wiewohl ſolch vonnöthen ꝛc.** ibi: **So haben Wir uns mit Churfürſten, Fürſten und Ständen des Reichs vereiniget, daß alle Stände durch uns aufs höchſte erfordert, und bey hoher Poen und Strafe gebotten und ermahnet werden ſollen, in eigner Perſon zu erſcheinen ꝛc.** Vtut nec hic omnem plane abſentiae excuſationem tum praecluſam fuiſſe dixerim. vid. *Henninges Tr. de S. I. P. circa Prof. Cap. II. n. 24. 34. et Cap. III. n. 25.* add. omnino *Bechmann. in Comment. ad A. B. Exerc. VII. Tit. XII. verb. perſonaliter p. 185.*

na extraordinaria.

V.

Quod ſi vero Archiduces Auſtriae ad Comitia Imperii accedant, hac inprimis ratione quoque eminent, quod ipſorum Legati non teneantur praeſentiam ſuam Directorio Moguntino *perſonaliter*, praeſtita ſimul viſitatione ſignificare, eidemque pro perſonis ſuis ad publicas Conſultationes habilitandis ac legitimandis Credentiales et mandata propria ſua manu offerre. vid. *Schilter. in Diſcurſu Inſt. I. P.* **von gegenwärtigem Reichs-Tage** *pag. 135 ſeqq.* Sed quod ſufficiat, ſi hoc ipſum, vti Electorales facere ſueuerunt, ſaltem per Secretarium praeſtent, quem Director Moguntinus, citra haeſitationem

Sicubi Archiduces in Curiis Imperii comparent, illorum Legati, pariter ac Electorum, coram Directorio Moguntino ratione officii ſui perſonaliter ſe legitimare non neceſſe habent.

Google

Praetenſio et Controuerſia hoc in paſſu Moguntinum inter et reliquos Principes ac Status Imperii.

tionem immediate admittere debet. Id quod aliis Principibus aut Statibus haud concedit, praetendens, Obſeruantiam Imperii requirere, vt ipſimet Legati, etiamſi ſint Principes, in aedibus Electoralibus ſe legitiment; qua de re iam olim in Comitiis Imperialibus A. 1626. grauis controuerſia fuit, quae tandem tali *expediente*, quod vulgo dicimus, ſoluta, vt quiuis Legatus per Secretarium legitimationem ſuam miſerit Archicancellario, Electori Moguntino, qui vero quoque hunc ipſe non audiuit, ſed itidem legitimationem accepit mediante Secretario ſuo, cum iſta proteſtatione quidem, quod ille actus Directorio nullum afferre debeat praeiudicium. vid. *Dn. Stryckii Diſſ. de Praeſentia Principis*, et *Triller in Tract.* von ſonderbahren Staats-Streichen. *Cap. II. pag. 457.* Eadem lis reſuſcitata, eodemque plane modo prouiſionaliter compoſita fuit in Comitiis An. 1677. vid. *Schweder P. S. S. I. Cap. XXX. §. 8. Kulpis de Legat. Stat. Imp. Cap. XIII. p. 136.* Quid autem in Conuentu Deputatorum Francofurtano 1682. hac in re ſpecialiter placuerit, videſis apud *Caſp. Heinr. Hornium in I. P. Cap. XLV. §. 6.* Iſtud vero quidquid ſit, probabile ſaltem eſt, quod nec ibi quidem Auſtriaci Legati vel minimum in Domini ſui praeiudicium admiſerint.

VI.

Poſſe Archiduces eorumue Legatos ante Comitia finita ex loco conuentus recedere, quod aliis regulariter licitum non eſt.

Sic praeterea alias ante Comitia peracta ex loco Conuentus recedere nulli Principum aut Statuum Imperii licitum, ſed omnibus ac ſingulis ad finem vſque eorundem perſeuerandum eſt. Quod ſi vero vnus vel alter, ob cauſas forte maxime vrgentes, inde diſcedere neceſſe habeat: opus nihilominus eſt, vt hoc non niſi cum permiſſione ac ſpeciali Imperatoris indultu fiat. vid. *R. I. Ratiſbon. de An. 1546. §.* Dieweil wir aber: cum ſimilibus. *Reinking* im verjüngten Röm. Reichs Adler, *Tit. X.*

Google

Tit. X. pag. 133. Hinc Carolus V. Philippi Haſſ. Landgrauii et aliorum Legatorum diſceſſum e Comitiis Ratisbonenſibus quondam aegerrime tulit, atque ideo ad portas Ciuitatis maiores poſuit cuſtodias, quas tamen a Mauritio Electore Saxoniae rogatus iterum imminuit, vt ex *Sleidano* refert *Limnaeus Lib. IX. Cap. 1. n. 225.* Quo in caſu pariter Director Moguntinus inter iura ſua praerogatiua numerat, quod ita diſceſſuri, durantibus adhucdum Comitialibus Conſultationibus, ab ipſo quoque veniam petere debeant. *Boecl. Not. S. R. I. Lib. VI. Cap. 176.* vid. *Excellentiſſimus Dn. Praeſes D. Feltz, in Diſſ. de Iuribus Praerogatiu. Elector.* Aſt certe ad neutrum horum Archiduces Auſtriae ſunt obſtricti; quemadmodum enim illi non niſi liberrima voluntate ad Comitia Imperii accedunt, ita quoque idonea ratio nulla apparet, quare iis non ſimilis plane libertas ſiue poteſtas, inde, quandocunque libuerit, rurſus diſcedendi ſemper absque vllo impedimento ſalua maneat.

VII.

In Comitiis interim praeſentes ſingularibus praerogatiuis etiam eminent.

De caetero, quamuis quidem, vti dictum, Archiduces Auſtriae a neceſſitate in Comitiis Imperii comparendi, ſeu etiam permanendi penitus exempti ſint; nihilo tamen minus illos quoque ſpecialiter eo vocandos eſſe, tanto certius aſſerendum, quanto verius omnino eſt, curam ſeu adminiſtrationem Reipublicae vna cum Imperatore aeque ac ad alios Imperii Status, imo etiam modo quodam praecipuo, ad eosdem pertinere, adeo plane, vt inde Auſtriacorum Dignitas atque Authoritas itidem non parum praeluceat. Ita enim (vt nil hic repetamus de ratione Praecedentiae ac Directorii, de quibus ſupra, in Cap. II.) non ſolum, tam in Conſeſſibus Imperii Vniuerſalibus interuenientes, quam etiam Particularibus, Deputatorum inquam, Conuentibus Imperii, ordinariis at-

Non tantum in Conuentibus Imperii, quoad Curam et Coadminiſtrationem Reipubl. ſed etiam extra illos vbique.

que extraordinariis, in participationem ac ſolicitudinem Imperii, prae aliis aſſumpti, de rebus ad tranquillitatem et ſalutem Reipublicae pertinentibus, conſultare, deliberare, ſuisque concludere poſſunt ſuffragiis, ad quorum numerum reſpectu diuerſorum Territoriorum augendum, haud dubie illi eandem quoque aequitatis ſpeciem habebunt, quam alii, ceu etiam ante aliquot annos in Comitiis iuſtiſſima ratione intenderunt. conf. *Ludwig in Schediaſmate* von dem Streit über neue Stimmen auf dem Reichstag, *edit. 1708. Schweder. P. S. S. I. Cap. XXXI. §. 2. ſeqq. Horn. I. P. Cap. XLVI. §. 2.* Sed et plane etiam extra iſtiusmodi Imperii aut Statuum Congreſſus ſolennes, vix vllum negotium eſt, quod cum excluſione aut praeteritione Archiducis Auſtriae legitime tractari queat, aut expediri debeat, adeo, vt, ſi quid Ipſi viderint vel crediderint, quod vel ad decus, honorem, commodum et incrementum, aut incommodum et damnum Imperii ſpectet, vbiuis Commiſſarios ſeu Legatos ſuos mittere poſſint; maxime, cum Duces Auſtriaci a Carolo V. Imperii *perpetui* conſtituti ſint *Conſiliarii*, et quidem omnium eminentiſſimi ac intimi, adeo vsque, vt nulla cauſa decidi debeat, ſine Ducis Auſtriaci praeſcitu et Conſilio. vid. *Diplom. apud Cuſpinian. in Auſtria pag. 36. Limn. Enucl. fol. 358. Lib. 3. Cap. 2.* et *Münſter. Coſmograph. Lib. V. Cap. 351. pag. 1121.* ibi: Er, der Ertz-Hertzog ſoll auch ſeyn der allergeheimbſte Rath des Römiſchen Reichs, alſo, daß keine Sache, ſo in Ewigkeit reichet, ohne ſein Wiſſen beſchloſſen werden ſoll, desgleichen ſeine Nachkommen ꝛc. ꝛc. conf. *Chriſtoph. Kornmart Tractat. Iurid. de Iure Conſiliorum, Cap. VII. Th. 28. p. 203.* Quod Priuilegium igitur, cum quoque quoad omnes poſteros fundatum, et iamdudum in tota familia Auſtriaca fuerit ratifi-

Sunt Imperatoris Conſiliarii Intimi, ſine quibus nulla cauſa in Imperio debet decidi.

Quatenus dehinc licite videatur argumentandum pro admiſſione

tificatum, hinc forſan etiam vel ex hac ſola ratione ſaltem Imperatores Auſtriaci qua tales, toties quoties Commiſſariorum vel Legatorum ſuorum admiſſionem, etiam in Congregationibus Electorum quibuscunque particularibus, hactenus rectiſſime vrſerunt, atque Electores ſimpliciter illos recuſandi ius firmum non habent. vid. *Boecl. in Diſſert. de Congreſſ. et Colloq. Princ. th. 45. Rachel. de Comitiis Elect. th. 5. Schwed. in Coll. MS. ad I. P. P. S. S. II. Cap. II. §. 6.* et *Dn. de Hein, I. P. Lib. IV. Tit. III. §. 1.* add. omnino *Henninges in Medit. ad Capit. Ioſephi, Art. VI. p. 101. ſeqq.* *Commiſſariorum vel Legatorum Caeſaris ex domo Auſtriaca in Congregationibus Electorum particularibus.*

VIII.

Quin et eiusdem Priuilegii, aliorumque et praeſertim etiam illius Praedicati, quo Auſtriae Ducatus, *Cor et Clypeus* S. R. I. ab Imperatoribus dicitur, intuitu eſt, cur affirmare parum dubitemus, Archiducem Auſtriae omnino quoque re ipſa aequaliter participare de inſignioribus illis elogiis, alias Electoribus in A. B. Capitulationibus, aliisque Conſtitutionibus publicis etc. tributis, quando ſcil. paſſim appellantur: die allernächſte Glieder des H. Röm. Reichs. vid. *A. B. C. 2. §.* und dieweil. Item *in Capitul. Carol. V. et Ferdinandi Art. 3.* die Förderſte, *et 41.* die innerſten Glieder und Hauptſtücke des Reichs, *iuncta Capitulatione Leopoldina et Ioſephina Art. 46.* Grund- und Haupt-Säulen des Reichs, *A. B. Prooem. C. 3. §. 1. Capit. Leopold. Artic. 46. et Ioſeph. 45.* item *art. 2. 3. Capit. Nouiſſ. art. 3.* Eingeleibte Glieder der Kayſerl. Majeſtät vid. *R. I. de A. 1541. pr. R. I. de 1551. §.* Dieweil aber. Item, die innerſte, höchſte und geheimbde Räthe Ihrer Kayſerl. Majeſtät, und oberſten Vätter, und Rathgeber der Teutſchen Nation vid. die Kayſerl. *Propoſition* bey der Wahl des Röm. Königes *Ioſephi A. 1690.* et, quae plura alia habentur apud *Crüger in Tract. de Fulgentiſſ. Nouemuirorum Iuribus, Diſcurs. I. §. 1.* *Inde non parum participare quoque videntur Archiduces, de inſignioribus illis Elogiis aliàs Electoribus paſſim tribui ſolitis, eosque adeo ſimili pene modo ac Electores, Caeſareae Maieſtati arctiſſime iungi.*

Schwe-

Schweder in I. P. P. S. S. II. C. II. §. 1. Excell. Dn. Praeſes de Iurib. Praerogatiu. Elector. Th. XIII. p. 114. n. 1. ſeqq. Sicque inde porro deprehendimus, Archiduces Auſtriae, haud ſecus, ac Electores, nexu arctiſſimo prae caeteris Imperii Statibus Sacrae Caeſareae Maieſtati hac ratione iungi, ita quidem, vt amplius concludendum videatur, quod ſicut in quibuscunque rebus vel negotiis Imperii, extra ea, quae Legibus fundamentalibus expreſſe aliter determinata ſunt, Electores cum Imperatore in partem venire ſingulari iure praetendunt, ita pariter etiam Archiducis praeſcitu atque Conſilio vbique opus ſit.

IX.

Eximuntur de caetero, ab omnibus Comitiorum Decretis et Conſtitutionibus.

Denique quemadmodum Conſtitutiones ſiue decreta Imperii Comitialia, tanquam Leges vniuerſales, mutuo Imperatoris ac Ordinum conſenſu, legitime facta ac promulgata, omnes deinceps, qui Imperii Germanici ſunt partes, adſtringunt, adeo, vt non minus Imperator et Status conſtituentes, quam Iure Comitiorum deſtituti Imperii ſubditi ad eorundem obſeruantiam obligentur, quanquam diuerſo obligandi modo; ita et hic ad partes praeeminentiae Archiducis praecipue pertinet, quod, licet ille in formandis quibuslibet Imperii Decretis cumprimis vbique concurrat, Ipſe tamen regulariter iisdem nullatenus teneatur, per Priuilegium Friderici I. et II. cuius vigore *Dux Auſtriae S. R. Imperio obnoxius nequaquam eſſe debet.* Quod et verum eſſe arbitramur, etiamſi Imperii Receſſus ſubſcripſiſſet; quia cenſetur id feciſſe ſaluis ſuis Priuilegiis, niſi forſan conſenſu plane ſpecialiſſimo ad hoc illudue ſe vltro obligaſſet. Conf. *Limnaeum I. P. Lib. V. T. II. §. 32. Kieffer de Domo Habſpurgo-Auſtriaca, Quaeſt. XLII. Author.* des teutſchen *Monzambani Cap. V. §. 25. in notis pag. 427.*

CAPVT IV.
DE
IMMVNITATE ARCHIDVCIS A COLLECTIS IMPERIALIBVS QVIBVSCVNQVE.

I.

Priuilegia Auſtriacorum eximia prae aliis Imperii Membris intuitu onerum ac tributorum publicorum omnium.

Quando videmus, inter negotia Comitialia non minimum illud quoque haberi, quod conſiſtit in Collectis Vniuerſalibus imponendis, vtpote quas in Imperio noſtro cum Statuum conſenſu modo plurium, modo vnanimi, prouti nimirum Reipublicae neceſſitas vel vtilitas earundem exactionem poſtulat, Imperator indicit, quarumque penſionum praeſtandarum obligatio regulariter ad omnia et ſingula Imperii membra ſpectat; tunc, itidem hic ſpecialiſſimam omniumque pene maximam immunitatem deprehendimus Auſtriacis indultam, qua Archiduces ab omnibus Contributionibus Imperii ita eximuntur, vt nullis plane Collectis vel praeſtationibus publicis ſint obnoxii; niſi, quod in Hungaria Germanico Imperio ſeruire teneantur, *ſed duodecim tantum militibus*, *ſiue Viris armatis*, neque diutius, quam *per vnicum menſem*, eos propriis ſumptibus contra Turcas exhibere et alere tenentur; non quidem, vti nonnulli volunt, ſecundum tenorem Priuilegii alicuius iam olim ab Imperatoribus Romanis, Iulio Caeſare, Claudio, ac Nerone obtenti; ſed vi Priuilegii, quod quoad primam originem ſuam ad Imperatores Germanicos, nempe Fridericum I. aliosque huncce ſubſecutos referendum eſt, per ea, quae habet *Dn. Ludwigius in Germania Principe, Lib. I. Cap. IV. §. 2. Lit. c.* vid. *Diploma Friderici Barbaroſſae*, vbi haec habentur verba: *Dux Auſtriae quibusuis ſubſidiis ſeu ſeruitiis non tenetur*, *nec eſſe debet obnoxius S. R. Imperio*, *nec cuiquam*

Solo XII. armatorum menſtruo ſumptu excepto.

Illorum conceſſio cui Imperatori primitus ſit adſcribenda?

cuiquam alteri, niſi ea de ſui arbitrii fecerit libertate, eo excepto duntaxat, quod Imperio ſeruire tenebitur in Vngariam XII. viris armatis per menſem vnum, ſub expenſis propriis, in eius rei euidentiam, vt Princeps Imperii denoſcatur etc. apud *Fugger. Spec. Lib. II. Cap. 2. p. 168. et ſeqq.* et *Pfeffing. Comment. ad Vitriarii I. P. Lib. I. Tit. XVI. §. 9. in not. lit. b.* cuius formulam, imperfectam tamen, etiam praecedenti titulo *§. 10.* iam exhibuit. add. *Diplom. Carol. V. apud Limn. I. P. Lib. V. Cap. II. n. 31. verſ.* das Land Oeſterreich. *Lünig.* im Reichs-*Archiu P. S. Cont. I.* von Oeſterreich.

II.

Intelligenda tam quoad Collectas Ordinarias, quam Extraordinarias.

Quae modo dicta exemptio itaque intelligenda de quibuslibet omnino Imperii oneribus ſeu Collectis; *(I.)* tam *Ordinariis*, quam *Extraordinariis;* de quibus earumque variis ſpeciebus, vid. *Schweder. I. P. S. S. I. Cap. XXVI. §. 7.* et *Kornmart in Tract. de Iure Conſil. ad Cap. X. Concluſ. Iur. Publ. et Priu. p. 635.* Vbi quidem ſingulariter notatur, quod, ſicut ad prioris generis collectas, etiam illae referuntur, quas hodie ſinguli Status ad ſuſtentationem Camerae ſeu ſupremi Dicaſterii Imperialis, quod nunc temporis Wetzlariae eſt, quotannis ſoluere tenentur, die Cammer-Zieler; ita, licet Sereniſſima Domus Auſtriaca duos ibidem Aſſeſſores praeſentandi poteſtatem habeat, *Dietrich Part. II. de Cam. Imp. p. 71.* nihilominus tamen ad illos alendos nihil quicquam tribuere obligetur. *Klockius de Collectis Cap. IV. n. 192.* *(II.)* tam *Perſonalibus*, quam *Realibus*, idque non ſolum quoad terras ſiue bona praeſentia, ſed et impoſterum quouis iuſto titulo obuentura.

Sic ad ſuſtentationem Camerae Imperialis nihil plane ſoluit Auſtria, licet duos Aſſeſſores praeſentandi facultatem habeat.

Item intelligenda eadem immunitas, tam quoad Contributiones Perſonales, quam reales.

III.

Nec ſolum quoad bona et ditiones

Equidem conſtat hic, Auſtriae Archiduces nonnunquam de iure ſuo aliquid remiſiſſe, in tantum, vt ſeſe oneribus,

ribus, et *aeſtimo* communi, in ſalutem totius Imperii, et pro auertendis Statuum grauaminibus, tam ratione Auſtriae, quam quoad Epiſcopatum Tridentinum et Brixienſem, Abbatiam item Murbacenſem etc. non ſubtraxerint, prout videre eſt ex Declaratione Ferdinandi I. apud *Oldenburg. in Limn. enucl. Lib. II. Cap. 18. p. 283.* et *Strauch. Diſſert. Exot. I. P. X. th. 21.* iuncto *Receſſu Imp. de An. 1548. §.* Wiewohl auch. *66. ſeqq.* At vero nemo dixerit, hoc vel minimum praeiudicium ipſis afferre potuiſſe, quandoquidem ſane nonniſi de liberrima voluntate ac citra obligationis nexum id fecerunt, iuxta Priuilegii, *in fine §. praecedentis*, allegata verba expreſſa ſaluo nihilominus exemptionis ac immunitatis ſuae Iure, quod etiam rotundis verbis ab Imperatore Friderico I. ad omnia prorſus bona Auſtriacis Ducibus quocunque legitimo modo in futurum obtingentia clariſſime extenſum, atque toties quoties hactenus ab Imperatoribus ſequentibus confirmatum. vid. *Chartam Priuilegii Friderici I.* ibi: *Volumus etiam, vt, ſi diſtrictus et ditiones dicti Ducatus ampliati fuerint, ex haereditatibus, donationibus, emptionibus, deputationibus, vel quibusuis aliis deuolutionum ſucceſſionibus, praefata Iura, Priuilegia et indulta ad augmentum dicti dominii Auſtriae plenarie referantur.* Quae in Confirmatione Caroli V. germanice ita exponuntur: Ob auch die Diſtricte, Gebieth, und Herrſchafft, vorgemeldtes Ertz-Hertzogen entweitert werden, mit andern Fürſtenthümern, Landen und Leuthen, durch Erbſchafft, Gedung, Käuffe, Vermächtnüſſen, oder einigen andern Anfall, ſo ſollen obgemeldte Recht, Freyheiten und Indult, auf dieſelbige Mehrungen oder Erweiterungen vollkommentlich referirt und gezogen werden. vid. apud *Cortreium de Priuilegiis* der Reichs Chur- und Fürſten, *Num. I.*

in praeſentiarum poſſeſſas, ſed et in futurum quomodocunque legitime obuenientes.

Statuum querelae eapropter ortae, pro quibus auertendis, Auſtriaci quoad aliquas ditiones aliquoties ſponte onera publica in ſe receperunt.

Saluo tamen nihilominus ſuo exemptionis Iure.

IV.

An et quatenus per Capitulationes Caeſareas huic Auſtriacorum Priuilegio derogatum?

Neque his indiſtincte, quod tamen *Dn. Henniges in Meditationibus ad Capitulationem Ioſephi, art. XXXI. p. 286.* velle videtur, derogare deprehendimus verba *Capitulationum Caeſarearum, Ioſeph. art. 31.* et Moderni Imperatoris *Caroli VI. art. 11.* (vbi quidem in ſpecie promittunt, quod quaecunque bona, vno vel altero caſu, ad ipſorum manus hactenus peruenerint, vel impoſterum adhuc ſint peruentura, omnia tamen tributa, collectae, contributiones, ſeruitia, aliaque onera, quae exinde alias Imperio praeſtanda aut ſoluenda fuerant, ſemper vna eademque, poſthabita omni praetenſa exemptione, manere debeant. Quemadmodum enim illa duntaxat ad futurum Imperatorem, qua talem, directa ſunt, ita proinde ad Archiducem Auſtriae alio modo applicari minime poterunt, niſi ſaltem, quatenus ille ſimul ad dignitatem Caeſaream euectus eſt, et quousque adeo tanquam Imperii Rom. Germ. Caput et Rector conſideratur. Quicquid igitur hunc qua Archiducem, eo nomine promiſiſſe, aut de Iure ſuo ceſſiſſe dicere velimus, iſtud tamen certe quosuis terrarum Auſtriacarum ſucceſſores vel legitimos Poſſeſſores generatim haud tangit, nec impedit, quo minus iure ſuo amplius vti queant. Plane, cum alioquin etiam extra dubium poſitum ſit, illorum Priuilegia aeque ſane ac reliquorum Principum et Statuum Imperii, per easdem Capitulationes Caeſareas, ſicut et alias Leges fundamentales hinc inde potius magis ſtabiliri, quam reſcindi. vid. *Capitul. Ioſeph. Art III. et Carol. VI.* Niſi quis Auſtriacos Principes deterioris plane conditionis, quam alios Principes, eſſe debere, impudenter aſſerere audeat. Accedit, quod nemo vnquam Priuilegio in fauorem totius familiae introducto, niſi particulariter pro ſe inque praeiudicium ſolummodo ſuum,

renun-

Google

renunciare tam facile praeſumatur, tanto magis, quod inſuper, renunciationes quaſcunque ſtrictae interpretationis, adeoque vltra renunciantis perſonam regulariter, nequaquam extendendas eſſe, Iuris ſit notiſſimi.

V.

Pariter accipienda quoque eſt haec Auſtriacorum Immunitas quoad omne tempus, itemque quemlibet ſummae neceſſitatis Caſum.

Intelligendum autem, hocce Immunitatis Priuilegium Auſtriacorum effectum ſuum exſerere *quouis omnino tempore, omnique caſu occurrente*; quod maxime quoque ſingulare eſt. Nam alias immunitas alicui conceſſa a Collectis et Oneribus, vtut tam ordinariis, quam Extraordinariis, ſolitis et inſolitis; tamen non regulariter diſtenditur ad ea, quae ratione belli, vel alterius ſummae publicae vtilitatis, aut vrgentis neceſſitatis, de qua ab initio non fuit vero ſimiliter cogitatum, exiguntur. conf. *Iacob. P. F. van der Graef. Iur. Publ: Vniuerſ. C. XXXI. n. 7.* Quam Sententiam non modo Cameralis Iudicii vſum, ſed et conſuetudinem Germaniae comprobaſſe, refert *Mynſinger Lib. IV. Obſ. 70.* inde ſubiiciens: a Collectis Imperii ob publicam neceſſitatem indictis, nullos Ordines excuſari; has enim exemptiones eſſe odioſas, ideoque reſtringendas. vid. *Caſp. Klock. de Contributionibus in Imperio vſitatis. Concluſ. 42.* Hinc e. g. in ſpecie, ob Turcicam Expeditionem et Contributionem neminem plane excipi, imo omnes, quantumuis Priuilegiatos, tributis onerari, ex Decretis Comitiorum celebratorum liquido adparet, vid. *R. I. de An. 1495. An. 1500. paſſim. An. 1542. ſ.* und nehmlich ſollen. §. Es ſollen auch Churfürſten. *An. 1544. ſ.* und nehmlich ſollen alle. *An. 1567. ſ.* und nachdem dieſe. *An. 1582. ſ.* Und demnach ſollen die Unterthanen. *An. 1594. ſ.* demnach ſollen. *An. 1598. ſ.* dieweil dann. *et ſeqq. An. 1603. ſ.* Nach dem etc. etc. *et ſeqq.* vbi diſerte notandum, derogari etiam omnibus Conuentionibus, et Emptionibus in contrarium facienti-

Digitized by Google

bus, quae tamen Conſtitutiones Auſtriacos, vt ſupra dictum, non adſtringunt.

VI.

Licet autem in oneroſis quibuslibet Auſtriaci ita ſint exempti, nihilominus tamen Imperium ipſis tutelam praeſtare, contraque omnes hoſtes ſuos defendere tenetur.

Verum, licet ita Auſtriaci Duces in oneroſis quidem, vti reliqui Status et Membra Imperii immediata haud conſiderentur; hoc tamen minime obſtante, nihilominus in cauſis fauorabilibus. ſiue vtilibus quibuscunque, eiusdem Clientela ac protectione frui atque omni meliori modo gaudere debent, ſecundum idem Priuilegium Friderici I. ibi: *Imperium dicto Duci Auſtriae, contra omnes ſuos Iniuriatores debet auxiliari et ſuccurrere, quod Iuſtitiam aſſequatur.* Cui concordat Confirmatio *Caroli V.* his verbis: **Das Reich ſoll auch dem Ertz-Hertzog von Oeſterreich wider alle ſeine Vergewaltiger, oder die Ihme unbilliges zufügen, Hülff beweiſen, daß Er Recht erlange.**

Monſtratur huiusce rei aequitas.

Idque tamen Auſtriacis adeo plane non eſt inuidendum, multo minus iniquum, ſiue, ceu *Dn. Ludwig in Germania Principe* loqui amat, *idem eſſe, firma ratione dici poteſt, quam muſcam dare, et debere leonem*, quo inſigniora alias ſane illorum ſatis nota ſunt Merita in vniuerſam Rempubl. Germanicam, et, quo maiora illis absque hoc, pro tutela totius Imperii hactenus omni fere tempore ferenda fuerunt onera, inprimis intuitu bellorum contra Turcam infenſiſſimum eiusdem, imo totius Chriſtiani Orbis hoſtem, feliciſſime geſtorum, ad quorum expeditionem Auſtria toties quoties, non modo duodecim, prouti ſaltem obligabatur, viros, ſed imo ingentes Exercitus aluit, quorum virtute Germania protecta atque ſeruata eſt.

VII.

Confutantur paulo latius maleuolorum obiectiunculae.

Neque certe eſt, vt quis integra fronte et ſine calumniae nota hic regerere poſſit, Auſtriacos, quicquid fecerunt, feciſſe ſemper in rem tantum et vtilitatem ſuam propri-

propriam. Quid ſi enim maleuoli ſolummodo concedant, quod omnino ad minimum vel inuiti concedere coguntur, Auſtriacos, dum ſua propria defendere neceſſe habuerunt, eadem opera indirecte et per conſequentiam ſaltem etiam S. R. Imperium ab hoſtium ſuorum, Turcarum in ſpecie, tyrannide, ſuoque totali interitu non ſemel hactenus conſeruaſſe, atque etiamnum omnibus viribus ſumptibusque immenſis ad hunc ipſum diem continuo protegere; annon propterea eo ipſo tamen nihilominus reuera dici poterit, Merita Auſtriacorum in Rempublicam Germanicam eſſe omnium maxima, quae forſan longe ſuperent quaecunque alia caeterorum Imperii Ordinum, ſiue coniunctim ſiue ſeparatim conſiderata. Ecquisnam deinceps ita iis vitio vertat, ſi iuxta ſalutem Imperii Romani, curam quoque Regnorum atque Prouinciarum ſuarum, ſiue nullum, ſiue ſaltem aliquem nexum cum illo habentium, imprimis ſimul, vrgente neceſſitatis telo, geſſerint; quaſi vero alias reliqui Imperii Status interea omnes ſuas vires vnice pro defendenda Republ. ſoli medullitus exhaurirent atque conſumerent, inſuper plane habita quacunque ratione commodi priuati vel emolumenti proprii. Exemplum ſcilicet! habes nouiſſimum occaſione belli Turcici, vbi quidem ad ſuſtinenda onera bellica Status vnanimi conſenſu Comitiali pro quinquaginta expeditionibus Romanis, vt vocant, Rômer-Monath, Imperatori contribuere promiſerunt, ſed vix ac ne vix quidem dimidiam partem reipſa praeſtitiſſe, hodienum iuſtiſſimae Auſtriacorum querelae oſtendunt. Videant ergo et iudicent aequa mentis trutina illi ipſi, annon interea potius adhuc multum in aere Sereniſſimae Domus Auſtriacae ſit Imperium vniuerſum, pro re, non minus in eius quoque ſalutem publicam et conſeruationem, quam ſuam propriam, verum tamen

interea

Digitized by Google

interea haud ſine maximo aerarii ſubditorumque ſuorum detrimento, tam ſaepe, adſiſtente Diuini Numinis auxilio, feliciter atque vtiliter geſta.

CAPVT V.
DE
EXCEPTIONE A IVRISDICTIONE
IMPERATORIS ET IMPERIALIBVS DICASTERIIS.

I.

Auſtriaci a Iurisdictione Imperii exempti ſunt in cauſis tam primae quam ſecundae inſtantiae in vniuerſum, partim per priuilegia Imperatorum generalia, partim etiam ſpecialia.

Omnes cuiusuis Reipublicae Ciues, ſiue Status, regulariter ſubiectos eſſe, Iudiciis Regni, vel ſummis, vel ſubordinatis, manifeſtum eſt; niſi quis ab iſtorum Iurisdictione, indultu ac authoritate ſupremi Imperantis ſit exceptus. Cuius rei exempla in Imperio noſtro Germanico, vti occurrunt diuerſimode, ita ratio prorſus peculiaris etiam hic eſt Archiducis Auſtriae, qui non tantum in genere, ſed et in ſpecie, quod nec coram Camera Imperii, nec Iudicio Imperatoris Aulico, nec aliis quibuslibet, cuipiam reſpondere teneatur, eſt priuilegiatus, ex Imperatorum munificentia, et quidem primum ſtatim Friderici I. verbis: *Etiam debet Dux Auſtriae de nullis oppoſitionibus vel obiectis quibuscunque, nec aliis quibuslibet cuiquam reſpondere, niſi id ſua propria et ſpontanea facere voluerit voluntate etc.* Ratisbonae A. 1156. conceſſa; Item Friderici II. Caroli IV. Sigismundi, et praecipue Caroli V. Auguſtae Vindel. de A. 1530. confirmatione, ibi: Der obbemeldte Hertzog iſt um keine Sache ſchuldig vor dem Reich zu recht zu ſtehen ſie wollen dann gerne ꝛc. Cuiusmodi Priuilegia extant apud *Limn. de I. P. L. V. c. 2. n. 33. Gylmann. Symphorem. Tom. 6. c. 2. §. 1. fol. 32. et ſeqq. Lunig* im Reichs-*Archiu. P. S. Cont. I.* von Oeſterreich.

II. Vi-

II.

An idem in cauſa fractae pacis publicae? Affirm.

Vigore itaque huius exemptionis, a Iudiciis Imperii tum Vniuerſalibus, tum Prouincialibus, ſiue ſupremis, ſiue ſubalternis, omnibus et ſingulis, Archidux Auſtriae, neque Ipſe neque per ſubſtitutum, coram Tribunalibus Imperii comparere et cauſam dicere obligatus eſt, neque de facto contra ipſum inuitum, iure ordinario recte procedi poteſt; idque in quibuslibet plane cauſis, *etiam fractae pacis publicae.* Equidem contrarium hic docent *Frid. Mindanus de Proceſſibus L. II. c. 22. n. 1. Mynſing. Cent. 5. Obſ. 58. n. 1. Gail. I. Obſ. 2. et 3. et de Pac. Publ. L. 1. C. 1. aliique.* Verum enimuero, cum Priuilegia Sereniſſimae Domus Auſtriacae indiſtincte omnimodo quoad Exemptionem a Iurisdictione Imperii, in quibusuis cauſis, nulla plane excepta, generaliter loquantur, praetereaque Archiducem Auſtriae nullo modo S. R. Imperio obnoxium eſſe, velint, videre haud licet, niſi clariſſima atque ſufficiens proferatur exceptionis probatio, quid hactenus huic noſtrae aſſertioni valide obſtet. Idem ergo omnino cenſendum eſſe arbitramur circa cauſas in ſpecie pignorationum vel repreſſaliarum. vid. *Knipſchild. de Nob. Immed. Lib. III. C. 24. n. 88.* Etenim, quamuis hae inter Ciues Imperii, tam immediatos, quam mediatos, regulariter de iure locum non habeant, cum iudicia in Imperio ſint conſtituta, vbi quisque ſuum per viam iuris conſequi poteſt, vt neceſſe non habeat, illud extraordinario et violento modo petere; tamen, cum Auſtriaci virtute Priuilegiorum ſuorum liberi ſint ab omni neceſſitate ſiſtendi ſe in Iudicio Imperii quouis, et quandocunque, contra ſuum lubitum, cauſa excepta nulla; pariter prono alueo fluit, eos non modo in caſibus denegatae vel protractae iuſtitiae, ſed et ob alias turbationes, inſuper habita ordinaria proceſſus via, contra alios Imperii Status

Item in cauſis pignorationum? quod pariter affirm.

Digitized by Google

tus eorumue ſubditos, qua debitores ſuos ſiue contrahentes, ſiue delinquentes, ius ſuum, vel repreſſaliis, vel pignorationibus vtendo, perſequi poſſe. Quemadmodum quoque ex conſtitutione pignorationis contra Archiducem, qua Ducem Burgundiae, proceſſus in Camera non decernuntur, ob ſpecialem transactionem cum Romano Imperio initam, quae hodie etiamnum in Camera in viridi obſeruatione habetur. *Tilemann. de Benign. in Apoſpaſ. ſeu de Impetr. proceſſ. Obſ. 4. fol. 50.* cuius transactionis tenorem vid. apud *Limn. I. P. c. 2 n. 50.*

III.

De Iudice competente Domus Auſtriacae.

Non igitur Archidux Auſtriae, ſiue ab ipſo Imperatore, ſiue a ſingulis Statibus, ſiue toto Imperio, vel tandem etiam ab extero, quibuslibet in cauſis, ſit conueniendus, alium quemquam inuitus admittere cogitur iudicem, ac illum, quem ipſe ſibi pro arbitrio atque beneplacito ex ſuis Vaſallis elegerit, vti verba Priuilegii innuunt: *niſi id ſua propria ac ſpontanea facere voluerit voluntate*, quo etiam ſpectant ea, quae habentur apud *Nitſchium ad Capitul. Ioſeph. art. 31. §. 4. ſeqq. ſed, ſi voluerit, vnum locare poteſt de ſuis Vaſallis ſiue Homologiis. etc.* ſondern er mag einen ſeiner Lehn-Leute ſetzen. etc. Cuius quidem cauſae cognitio et pronunciatio ſententiae quod pro iudicio Parium Curiae, vel Auſtregarum, vel arbitrio compromiſſario ſit habendum, vix aſſeruerim; cum licet de ſingulis nonnihil participare videatur, multum tamen de cunctis atque inſigniter admodum differre, facile cuique pateat. Interim hoc certum eſt, talem Vaſallum vnicum a ſolo Archiduce hoc modo conſtitutum ſtatim Ius nanciſci perfectum, plenamque facultatem, litigium quodcunque inter ipſum et alteram partem aduerſam legitime determinandi; ita quidem, vt ipſe Archidux, prouti porro Priuilegium ſonat, *coram illo ſuo*

Vaſallo,

Vaſallo, ſecundum terminos praefixos parere non ſolum poſſit, ſed et debeat, iuſtitiae complemento. vid. *Conſt. Caroli V.* ibi: **vor demſelben ſoll er den Rechten gehorſam und ſtatt thun.** Quod ſi vero denique Archidux hoc facere, et ita vnum ex ſuis hominibus ad Iudicium in hac vel illa cauſa ferendum, eligere eiusque ſententiae litem, de qua agitur, ſubmittere noluerit; hoc etiam liberum ipſi ſemper manet, atque tunc quidem remedium Iuris aliud nullum ſupereſſe videtur, quam, quod alias quoque communiter inter ſummas poteſtates locum habet, ſcil. amicabilis compoſitio vel via facti, aut vt clarius loquar, vis bellica, quae Gallis dicitur: *vltima ratio Regum.*

IV.

Inprimis in cauſis Exemptionis et Collectarum.

Caeterum, quandoquidem de Iudice Auſtriacae Domus ſaepius iterumque quaeritur; Auſtriacis non minus ſolenne eſt, omnium fere cauſarum argumenta, praecipue Exemptionis ac Immunitatis a Collectis ab Epiſcopo Bambergenſi aliisque praetenſae, etiam ad *Iudicia ſua Prouincialia* remittere. Vbi e contra partes ex titulo, *ne quis in cauſa ſua propria Iudex ſit*, perpetuum querelarum petunt fundamentum. Etenim hic in coelum vſque extollere ſatagunt Diuum Valentem, Gratianum et Valentinianum, qui Authores ſint *L. generali C. ne quis in cauſa iudicet, vel ius ſibi dicat;* ſibi ius dicere non legem eſſe, ſed vim; ſi ſuſpectus Iudex recuſari poſſit, quidni ipſe aduerſarius; et, quamuis etiam miniſtri fidei nexu exſoluantur, non tamen illos exuere ſtudium placendi, amorem principi ſua probandi; et qui floſculi ſunt generis eiusdem alii plures. vid. *Dn. Henniges in Med. ad I. P. W. art. VIII. §. 3. pag. 1262. ſeqq.* Sed vero admodum Auſtriaci conſtanter reſiſtunt, aientes: 1) quod, ſi vel maxime ratio ab Auſtregis deſumpta, qui etiam, partim eliguntur e Primariis Aulae Principis

Digitized by Google

Conſiliariis, nullo modo attendenda eſſet; tamen ad depellendam partium ſtudii ſuſpicionem, ſi Auſtriaci Regiminis adminiſtri nexu tum ſoluantur, quo Principi ſuo ſint addicti, ſufficere in tantum, quatenus nempe de Principe Virisque bonis nihil iniuſti exſpectandum vel improbi temere praeſumendum. 2) Nondum plane conuenire, num ſibi ipſi nemo vnquam, ne quidem ex conceſſione ſeu priuilegio a Superiore comparato, poſſit eſſe Iudex; idque ſaltem vniuerſaliter verum non eſſe reſpectu eorum, qui ſceptra gerunt, et quorum alter alterius Imperio nequaquam eſt obnoxius. 3) Quamdiu Priuilegiis Auſtriacorum locus ſit, vti omnino eſſe debeat, ſaltem legitimam ſiue iuſtam contradicendi cauſam neminem habere, quippe vi quorum, ceu iam ſupra §. I. demonſtratum dedimus, ab omni Imperii Iurisdictione diſerte exempti ſunt, atque adeo de nullis oppoſitionibus vel obiectis quibuscunque, nec coram Imperio nec aliis quibuslibet cuiquam iudicialiter reſpondere tenentur, niſi aliud ſua propria et ſpontanea facere voluerint voluntate. 4) Poſſe Ipſos ad cauſarum, ſuper quibus cum aliis certant, cognitionem atque deciſionem, prorſus vnicum tantum de ſuis Vaſallis locare ac eligere; cur ergo non etiam totum aliquod Collegium vel Iudicium Prouinciale? Praeſertim, cum certe intuitu huius tanto minus ſuſpicionis ſubſit, quanto potior e contra ſpes eſſe poteſt, parti aduerſae facilius hac ratione fore euadendi diſcrimen. 5) Diſſimulari tandem omnino non poſſe, competere vtique in hoc Auſtriacis aliquid, ſed interim tamen iure ſuo praecipuo ſimulatque certiſſimo, quod ſublimitate ſua poteſtatem omnium reliquorum Principum ac Statuum ordinariam multis paraſangis longe ſuperet, quo quidem ſi rite vtantur, nemini propterea de iniuria querendi ſufficiens ratio eſt. conf. *Londorp.*

Lib.

Lib. VII. art. 480. p. 534. et *Struu. in Syntagm. I. P. Diſſ. XXIV. §. 39. p. m. 530.*

V.

De Exemtione Archiducis reſpectu ſubditorum.

Quemadmodum vero Archiduces Auſtriae ita pro ſe ſuaque Sereniſſima Perſona, ab omni Imperii Iurisdictione immunes eſſe, hactenus probatum eſt; ſic eosdem non minus etiam ratione ſubditorum, atque Iudiciorum ſuorum, in cauſis tam primae quam ſecundae Inſtantiae egregie admodum videmus priuilegiatos, Iure ſcil. tam de non euocando, quam de non appellando, prae aliis pleniſſime gaudentes. Quae quidem duo Iura, quamuis a quibusdam confundi ſoleant, ac pro vno eodemque venditari, quos videre licet apud *Carpz. in Diſp. de Iure et Priuil. de non appellando th. 22.* certiſſimum tamen nos putamus, diſtincta eſſe Priuilegia. Primo enim ſubditi ad quodcunque Tribunal vocari vetantur, altero vero conſtituitur, vt nulli a ſententiis alicuius Domini Territorialis appellare liceat. *Buxtorff. Diſſ. ad A. B. Concl. 94.* Differentia deinde etiam ex eo pateſcit, quod Ius de non euocando ad primam inſtantiam pertineat; omnesque ſubditos alicuius ad aliena Iudicia euocare prohibeat, Ius autem de non appellando, ad ſecundam tantum Inſtantiam, vbi omnibus tam ſubditis quam extraneis a ſententiis Domini Territorialis ad aliud tribunal appellare interdicitur, extendendum ſit. *Buxtorff. in dict. Diſſert. Concl. 94.* Nec minus differentia Iurium horum ex ipſis Priuilegiorum verbis, haud obſcure toties quoties elucet. conf. *D. Feltzii Diſſert. de Iuribus Electorum praerogatiuis p. 22.*

Differentia inter Priuilegium de non appellando et de non euocando.

VI.

De Priuilegio de non euocando generali.

Primum igitur eſt, quo omnes Archiducum Auſtriae Subditi vel Vaſalli ab omnibus extraneis Iudiciis, ita plane eximuntur, vt nullus ex eorum Territoriis, ad

alienum Tribunal quodcunque in vel extra Imperium vocari, vel trahi poſſit. Idque omnino iamiam ſatis clare fundatum eſt, ſecus ac alii volunt, in Diplomate Friderici II. verbis: *Quapropter concedimus enim, et damus eidem Illuſtri Principi Duci Auſtriae, haec ſubſcripta ad habendum, pro Iure plenarie, vt nullus ſuorum feudalium, aut ſuarum terrarum inhabitantium ſiue poſſidentium, nulli alteri aliquid iuris obediant, excepto enim ſibimet ipſo noſtro praedicto Friderico Principi Duci Auſtriae, aut ſuas vices ſupplentibus, ſiue poteſtatem.* Quod poſtea amplius declaratum eſt a Carolo IV. Sigismundo et Carolo V. ita quidem, vt ibidem limitetur, *in ſolo caſu denegatae iuſtitiae;* attamen non niſi manifeſtiſſimo, ac adeo liquido, vt veluti probatione aut antecedente cognitione penitus indigeat nulla, ſecundum ea, quae habentur in ipſis Priuilegiis Caroli IV. et Sigismundi Impp. ibi: **Es wäre dann, daß jemand in derſelben Hertzogen von Oeſterreich Gerichten rechtloß gelaſſen würde, und das NB. gar kündlich, und ohne Gefährde wiſſentlich wäre, der möcht ſein Recht wohl fürbas vor des Reichs-Gerichten ſuchen, und ſonſten anders nindert, als dann die Kayſerl. Brieffe darüber gegeben, klärlich inhalten.** apud *Limn. Lib. V. C. 2. n. 33. et ſeqq.* et *Lünig. loc. ſaepius alleg.*

Exceptio in ſolo caſu denegatae Iuſtitiae.

VII.

An intelligendum quoque quoad caſum fractae pacis publicae? Affirm.

Id autem quam maxime quaeſtionis hic eſt, vtrumne modo dicta priuilegia intelligi quoque debeant de caſu fractae pacis publicae? an vero nihilominus, ſi eandem Archiducum ſubditus quidam violauerit, is euocari ac in Camera Imperii conueniri poſſit? Affirmare hoc quidem poſterius ſuſtinent omnes fere Iuris Doctores, partim argumentis propriis, partim traditis a *Gailio Lib. I. Obſeru. 2. et 3.* ac *L. I. de Pac. Publ. C. I. Mynſing. Cent. 5. Obſeru. 58 Zaſ. Conſ. 15. n. 44. Vol. 2.* add. *Gylman. Tom. II.*

II. Symphor. part. 3. Tit. 4. Suppl. 3. fol. 78. pr. Petr. Frid. Mindan. L. I. de Proceſſ. in Cam. extrab. C. 22. n. 1. etc. Quorum ſumma eo redit, quod putent, eximere aliquem a Conſtitutionibus ſeu Legibus Pacis publicae, nihil aliud eſſe, quam in Communis Reipubl. ſocios armare, et quaſi feneſtram aperire ad vim publicam libere exercendam; praetereaque exemplo pernicioſum videri, publicae tranquillitatis turbatores, tanquam communes Patriae hoſtes, a Caeſarei Numinis Iurisdictione eximere. Veruntamen iſta tanti non ſunt, vt vel latum digitum recedamus a Priuilegiorum noſtrorum generalitate, vtpote quae expreſſe largiuntur, ſubditos Auſtriacos nulli alii aliquid Iuris obedire debere, vel, vt Diploma Caroli V. germanicum habet: Des Ertz-Hertzogs von Oeſterreich und aller ſeiner Fürſtenthum und Lands-Hauptleuth, Vögt, Pflegere, Rath-Diener, und Amptleuth, und derſelben Diener, und gemeinlich und ſonderlich, alle ihre Unterthanen, Landſaſſen, eigen und Lehen-Leuth, Schutz- und Schirms-Verwandten, beyderſeits Geſchlechts, Chriſten und Juden, ſollen von wegen ihrer Empter und Dienſt, Handlungen, auch ihrer eigen, noch NB. keinerley Sachen, es betreffe Ehr, Leib, Leben oder Güther, für des Reichs-Hoff Cammer, noch einigem Gericht des Reichs, zu Weſtphalen, zu Rothweil, noch für andere frembde Hoff- oder Land-Gericht, geladen noch gefordert, auch durch kein Poenal-Mandat, Arreſt, oder andere Bewegung dahin getrungen noch gezogen werden ſollen, ſondern das Recht von deſſelben Ertz-Hertzogen zu Oeſterreich geordneten und geſetzten Richtern nehmen und geben etc. vt proinde *omnis plane cauſa vel caſus* Priuilegio noſtro includatur. Neque inde vel minimum inconueniens abſolute ac neceſſario ſequitur; quod ſi vero

etiam

Digitized by Google

etiam fortaſſe praeter ſpem eiusmodi quid contingeret et cauſa violatae pacis exiſteret; ideo tamen praeciſe opus non eſt, vt ſubditi e loco domicilii euocentur, et ita propter metum qualemcunque Domui Auſtriacae Ius ſuum auferatur, vel ſaltem reſtringatur; ſed ſufficere poteſt, quod coram Iudice loci ordinario ipſo, ſcil. Archiduce, ad poenam banni, et Iuris communis conueniri queant, qui ipſe pro ſuo, erga ſalutem ac tranquillitatem publicam, amore, iuſtitiam omni meliori modo adminiſtrare haud intermittet.

VIII.

Quae hic inſignis differentia quoad aliorum Statuum ſubditos.

Interim hic quoque ratione huius Priuilegii inſignis admodum Praerogatiuae differentia inter Auſtriacos atque omnes reliquos Imperii Status notanda venit. Vtut enim iam per *A. B. Cap. VII.* Regno Bohemiae, *Cap. XI.* vero caeteris quoque Electoribus caueatur, ne eorum ſubditi ad aliud Tribunal euocentur, aut euocati comparere teneantur, annullatis omnibus in contrarium actis, aut agendis, imo hodie Priuilegium hocce omnibus omnino Imperii Statibus commune redditum ſit, per *Ordinationem Camerae Part. II. Tit. I.* Tamen excipiuntur caſus, vbi Statuum quorumuis citra appellationem ad ſuprema Tribunalia Imperii euocari poſſunt, ſcil. 1.) non tantum in cauſis fractae pacis publicae, ſiue religioſae, ſiue profanae, ſed et 2.) in cauſis fiſcalibus. vid. *Ord. Cam. Part. II. Tit. 20.* Siue 3.) propter violatum Priuilegium Caeſaris. 4.) Propter rem immediate ſub Imperio ſitam. 5.) Propter continentiam cauſarum; et denique 6.) in caſu teſtimonii dicendi. vid. *Gail. Lib. I. Obſ. 100. Ruland. de Commiſſariis P. I. L. 6. C. 3. f. Mauritius ad Capitulationem Leopold. Art. 18. p. 829.* Cum e contrario ſubditos Archiducum vigore Priuilegii ſui, nemini plane, quisquis ſit, et quamcunque etiam euocationis

cauſam,

cauſam, praeter ſupra allegatam, praetendere velit, ex Territoriis illorum euocare liceat. conf. *Bechmann. ad A. B. Exercit. XII. §. 30.*

IX.

Priuilegium de non appellando illimitatum, excepto pariter ſolo caſu denegatae Iuſtitiae.

Alterum Priuilegium *de non appellando* eſt, vi cuius omnia, quaecunque Archiduces in ſuis Iudiciis iudicauerint, aut geſſerint in ſuis ditionibus, reuocationi Caeſareae, vel alterius cuiusuis poteſtati non ſunt ſubiecta, adeo, vt a ſententiis in Auſtriacorum Curiis latis, ſpeciatim etiam nec ad Tribunal Imperatoris Aulicum, nec ad Cameram Imperii detur prouocatio. Quod itidem iam primitus ex eadem conceſſione habent Friderici I. et II. hiſce terminis: *Praeterea, quicquid Dux Auſtriae in Terris ſuis ſeu diſtrictibus ſuis fecerit, vel ſtatuerit, hoc Imperator, neque alia potentia, modis ſeu viis quibuscunque, non debet in aliud quoquomodo impoſterum commutare.* Quae etiam in Confirmatione Caroli V. apud *Cuſpinianum*, item *Limnaeum, Cortreium* et *Lünigium*, ita leguntur germanice propoſita: **Und, was alſo vor des Fürſten der Oeſterreichiſchen Landen verordneten und geſatzten Hoff- und Land-Gerichten, oder andern ihren Gerichten, mit Urtheil und Recht erkandt und entſchieden wird, dabey ſoll es endlichen bleiben ꝛc. und darüber an Uns noch unſer Nachkommen am Reich, Römiſche Kayſer und König, noch an des Reichs Cammer-Gericht, nicht** appelliret, ſuppliciret **noch** reduciret **werden.**

X.

Differentia inter Priuilegium de non appellando, et de appellatione non recipienda; vtrumque Au-

Hoc vero obſeruatione peculiari dignum hic videtur, Priuilegium hac in parte Auſtriacis conceſſum eſſe duplex, ſcilicet, Priuilegium de non appellando ſtricte ſumptum, ac Priuilegium de appellatione non recipienda; quae diuerſa omnino ſunt. Nam recepta ſemel cauſa, in Iudiciis Imperii praeſertim ſupremis, ea non

ſtriacis competere, probatur.

ſemper remittitur, etiamſi a priuilegiato appellatum fuerit, maxime, ſi appellatus non excipiat, contra Priuilegium Domini ſui Territorialis appellatum fuiſſe. Quare etiam motus quondam Elector Saxoniae Auguſtus, cum tantum priori, ceu alii Electores, ex *A. Bulla*, priuilegio frueretur, poſterius demum ab Imperatore Ferdinando I. ſpeciatim impetrandum duxit, ne ſcilicet cauſae a ſuis Iudiciis ſummis ad Cameram Imperialem per appellationem deuolutae ibidem reciperentur, teſte *Ayrero in Proceſſu Iuris Part. II. C. 4. in form. Priuil. Zinzerling. de Appell. C. 70. Lit. C.* Caeterum Priuilegium hocce de appellatione non recipienda prae aliis a Sereniſſimis Archiducibus maximi ſemper habitum fuit, prouti non modo apparet ex formula confirmationis Caroli V. de Anno 1530. ibi: **Sollen auch keine Waigerung von des Fürſten von Oeſterreich Gerichten Urtheilen und Erkantnüſſen bey dem Reich angenommen werden; unangeſehen, ob hiebevor, auß Uberſetzung oder einigen andern Urſachen, dergleichen viel oder weniger beſchehen wäre, oder noch beſchehen würde; auch unangeſehen, aller** Conſtitutionen, **Satzungen und Ordnungen, die hierwieder gemacht ſind, oder künfftig gemacht werden möchten** etc. ſub clauſula caſſatoria omnium, quae in contrarium acta fuere aut agentur; ſed et ex inſtructionibus ac mandatis ab iisdem legatis ſuis, cum quibus de inſinuatione Priuilegii huius Camerae facienda deliberandum erat, aliquoties datis. Vnde etiam, cum aliquando a ſententia in Iudicio Prouinciali Imperii Sueuico lata, pars grauata ad Cameram Imperialem Spirenſem appellaret, haec vero Citationem, Compulſoriales, Inhibitoriales decerneret, deſuper Ferdinandus Carolus Archidux Auſtriae, Princeps Tyrolenſis, piiſſimae memoriae, apud Ferdinandum III. Impera-

peratorem valde conqueſtus, atque proteſtatus fuit, hic vero ad Cameram graues miſit literas, quae in reſponſum viciſſim haec Imp. dedit: **Daß ſie hinführo, ſo den Oeſterreichiſchen habenden Privilegien in einigem Weg zuwider oder abbrüchig ſeyn möchte, zu handlen oder zu erkennen, gar nicht gedencken oder genaigt ſeyen.** vid. *Ioh. Franc. Balth. in Diſſert. de Iud. Memb. 3. n. 20.*

XI.

An Priuilegia haec ad reliquas etiam terras Auſtriae incorporatas, oppignoratas quoque, die Pfandſchillinge, vt et in futurum adhuc acquirendas, extendenda ſint?

Competunt autem Sereniſſimae Domui Auſtriacae, praedicta modo Priuilegia illimitate et abſolute, excepto ſolo puncto, vt antea innuimus, iuſtitiae prorſus ac maniſeſtiſſime denegatae; adeo, vt nec ad certas cauſas vel formam, nec ratione terrarum ſuarum ac ditionum quarumuis, ſicut aliorum Principum ac Statuum Imperii, ſint reſtricta. Equidem conſtat, hic a non paucis magni nominis Iureconſultis, quam maxime iam olim in dubium vocatum eſſe: an Priuilegia iſta ad reliquas quoque terras Auſtriae. incorporatas, atque etiam oppignoratas, nec non in futurum adhuc acquirendas, extendenda ſint? Vnde porro quaeſtio illa capitalis enata, quam hodienum acerrimis ſubinde diſceptationibus obnoxiam eſſe videmus: anne ab Auſtriacis, qua Imperialibus Landuogtiis queat appellari? vel, vtrum a Iudiciis Prouincialibus Sueuiae ad Cameram Imperii, aut Iudicium Aulicum; an vero ad Iudicium Prouinciale Oeniponti prouocari debeat?

An a Iudiciis Prouincialibus Sueuiae ad Cameram Imp. aut Iudicium Aul. an vero ad Iudicium Prouinciale Oeniponti, an das Hof Gericht zu Inſpruck, *prouocari debeat, latius diſquiritur. Poſterius propugnatur.*

Et quod quidem Priuilegia illa generaliter de omnibus ditionibus Auſtriacis intelligenda ſint, adeo, vt etiam eae, quae ſub titulo **der Pfandſchilling** ipſis parent, iisdem gaudeant, ambigunt aut prorſus negant, ideo, quod ab initio ſtatim in Diplomate Friderici I. non niſi Auſtriae ſoli conceſſa eſſe videantur: vnde quoque eo magis, in ſpecie quoad quaeſtionem alteram, *an ſcil. ab*

Digitized by Google

ab Archiducibus qua Imperialibus praefectis queat appellari? in affirmatiuam ſententiam fere omnes conſpirant, ſequentibus potiſſimum rationibus nitentes: partim I. quod hic Auſtriaci non ſuſtineant ſuam, verum Landuogtii perſonam: deinde II. haec Iudicia non ſuprema ſint; verum ſubalterna: porro III. Landuogtiae dari hoc Ius non potuerit, in praeiudicium Sueuiae Ordinum, quorum cauſae ibi ventilentur; *praeterea* etiam IV. Aſſeſſores Camerales haecce Priuilegia indiſtincte quidem denen Erbländern concedant; ab illis vero ſemper ſeparent die Land-Gerichte, neque ad illas ditiones, quas Domus Auſtriaca tantum vt Pfandſchillinge ab Imperio poſſidet, iſthaec extendenda eſſe cenſeant, idque etiam V. *Praxin Imperii* obſeruare, atque adeo Cameram *in quaſi poſſeſſione* Iuris contraria, appellationes recipiendi, exiſtere, tradant. *Roſacorb. in Prax. forenſ. Cap. 168. per tot. Ioh. Franc. Balthaſ. de Iud. S. R. I. Memb. 7. n. 7. Gylmann. Tom. 3. Symph. Tit.* Oeſterreich. *fol. 241. 242. et 243. et 275.* vid. etiam *Tom. I. Symph. Part. 2. Tit. 17. fol. 321. Tom. 6. C. 2. fol. 30. et ſeqq. C. 8. fol. 353. Zinzerling. de Appell. Theſ. 68. lit. f. et g. Wehn. Tom. 6. Symph. p. 30.* conf. *Limn. I. P. L. V. I. P. C. 2. n. 36. ſeqq. Beſold. in Theſaur. lit. L. n. 6. edit. 2. et in Diſc. de Appell. c. 2. n. 19. fol. 74. et 75.* Pro qua denique VI. non minus expreſſe facere videantur *Capitulationes* Leopoldi Imperatoris *art. 18.* Regis Rom. *Ioſephi art. 27.* et *Caroli VI. art. 18.*

Rationes dubit. principales. I. II. III. IV. V. VI.

XII.

Rationes decidendi fundamentales, cum vindicatione ab Obiectionibus.

Sed vero, hiſce aliisque ſimilibus minime obſtantibus, Auſtriaci in vtroque Iura ſua conſtantiſſime tuentur; quod nimirum non modo iſta dicta priuilegia vniuerſaliter de omnibus ditionibus eisdem parentibus, atque etiam de illis, quas ſub titulo eines Pfandſchillings tenent, intelligenda veniant, proindeque aequalem obſeruantiam

uantiam requirant; ſed et ab illorum Iudiciis Sueuiae Prouincialibus Caeſareis neque ad Cameram Imperii, neque ad Iudicium Caeſaris Aulicum, verum ad Regimen ſuum, quod Oeniponti eſt, **an das Hoff-Gericht zu Inſpruck**, prouocationes fieri debeant.

Quoniam I.) ſicuti ex Priuilegio Friderici I. ſupra adducto in genere apertum eſt, omnia ea, quaecunque Dux Auſtriae in Terris ſeu Diſtrictibus ſuis ſtatuerit, haec Imperatorem neque aliam potentiam, modis ſeu viis quibuscunque, non debere in aliud quomodocunque in poſterum commutare; ita quoque tam cunctorum, quam in ſpecie illorum Priuilegiorum, de non euocando et non appellando, immunitas, iam in eodem Diplomate ſimul quoad omnes alias prouincias ſeu ditiones in futurum adhuc quolibet titulo acquirendas, extenſionem omnimodam radicatam atque reapſe factam eſſe, apparet verbis: *Volumus etiam, vt, ſi diſtrictus et ditiones dicti Ducatus ampliati fuerint ex haereditatibus, donationibus, emptionibus, deputationibus, vel quibusuis aliis deuolutionum ſucceſſionibus, praefata iura, Priuilegia et indulta ad augmenta dicti Dominii Auſtriae plenarie referantur.* *Ratio I.*

Quia II.) certo conſtat, Leopoldum Ducem Auſtriae Anno 1379. Praeſidiatum Sueuiae, **die Land-Vogtey in Schwaben**, cum omnibus Iuribus, Regalibus, reditibus, fructibus, Iurisdictionibus aliisque pertinentibus, et ſic etiam Iudiciis prouincialibus, ab Imperatore Wenceslao, et Imperio ſub pacto de retrouendendo perpetuo emiſſe, vid. *Fugger. L. III. C. 8. p. 359.* et poſt varias alienationes, Auſtriae Ducem Albertum Anno 1447. Friderico III. Imperatore, Praeſidiatum illum redemiſſe, et An. 1542. realem eius poſſeſſionem obtinuiſſe, vt ita, ſuppo- *Ratio decid. II.*

 ſito.

ſito, quod per eiusmodi emptionem et redemptionem Domus Auſtriaca et directum et vtile Dominium iſtius Praeſidiatus acceperit, tanto magis appellationes etiam, ab iſtiusmodi iudiciis ad eius Curiam ſuperiorem merito deferantur, eo, quod Domus Auſtriaca per eiusmodi emptionem, vsque ad reluitionem, ſit Domina, et ideo appellationes ad ipſam fieri debeant, per tradita *Wehn Pract. Obſeru. verb.* Pfandſchafft, *fol. 351. verſ. hinc oppignorationis. Author deciſ. Cameral.* apud *Gylmann. Symph. Tom. 3. verb.* Pfandſchilling, *fol. 254. Ruding. Cenſur. 4. Obſ. 7.*

Obiectio. Nec obeſſe huic videtur, quod, quando ſpeciatim hic ſermo eſt de Iudiciis Sueuiae Prouincialibus Caeſareis, ex parte totius Circuli Sueuici non concedatur, quod Praefectura territorialis, die Landvogtey, et Iudicia Prouincialia, die Land-Gerichte in Schwaben, vnum idemque ſint, vel haec ad illam pertineant, atque ita per titulum emptionis vtriusque dominium ad Sereniſſimam Auſtriae Archiducum familiam ſit translatum, prout ex parte Auſtriaca haud absque ratione aſſeritur; illud tamen

Reſponſio. hactenus liquido euinci non potuit. *Licet* enim, quod maxime vrgent, admittamus, Praefecturam illam territorialem, die Landvogtey, antea ſeparatim ac diuerſo tempore et modo, ab Imperatore Wenceslao (vti fatetur ipſe Imperator Ferdinandus I. in der letzten Gegen-Proteſtation, d. 20. Iulii A. 1559. ſagt Ihro Kayſerl. Majeſtät etc. quae extat apud *Goldaſt.* Politiſchen Reichs-Händlen, *Part. 25. fol. 1047.*) nempe per pactum de retrouendendo, auf einen ewigen Wiederkauff, Archiducibus alienatam eſſe; ſufficit tamen, quod poſtea quoque Iudicia illa Prouincialia a Dominis Truckſäßen zu Waldburg, ad Sereniſſimam Auſtriae familiam, et quidem per oppignorationem ſiue contractum pignoratitium, ſimulatque Iure feudi peruenerint, prout hoc

ipſum

ipſum in des Schwäbiſchen Crayſes Proteſtation-Schrifft, quae itidem extat apud eundem *Goldaſt. d. l. fol. 1034. et ſqq.* fuit agnitum, et conſtat ex *Gylmann. Symphor. Tom. II. Part. I. Vol. 8. n. 12.* *Vtut* igitur etiam, quod porro obiiciunt, duo iſti contractus, nimirum pignoratitius mere talis, ſub lege perpetuae reluitionis, ein bloſer Pfandſchilling, et emptitius, cum pacto de retrouendendo, Verkauf auf ewige Wiederlöſung, maxime inter ſe differre dicantur, vti latius docet *Mynſing. Cent. 6. Obſ. 70. per tot.* et quidem in hoc ad emptorem non tantum commoditatem, vſque ad retrouenditionem, percipiendi fructus, ſed et ipſam poſſeſſionem et Dominium, ſicque vna etiam regulariter cum Iurisdictione appellationes; in illo autem neque poſſeſſionem neque Dominium multo minus appellationes ad creditorem transferri, *Mynſing. dict. Obſ. 70. n. 2. et 3. Zaſ. Conſ. 12. n 34. et per tot. Lib. I.* *Inde* tamen conſequentia nulla ad noſtrum caſum ducenda erit. Quandoquidem Archidux Auſtriae praeter oppignorationem, ſimul quoque Iure feudi Iudicia illa prouincialia acquiſiuit, vid. *Schwed. P. S. S. I. Cap. 14. §. 12.* et ex hoc *Dn. de Hein. in I. P. Lib V. C. 5. §. 4.* cum autem vtique hoc in caſu per infeudationem, tanquam titulum, ſiue modum ad transferenda quaeuis Iura et Regalia habilem, et poſſeſſio et omne Dominium vtile ad Vaſallum regulariter tranſeat, neque apud oppignorantem eundemque infeudantem permaneat, proinde etiam non ad hunc, id eſt, Caeſarem et Imperium, vtpote modo dominium directum, eiusque ſupremum tribunal, ſed ad ipſum Vaſallum ac illius dicaſteria appellationes, ſaltim non minus ac ad illum, qui ſub pacto de retrouendendo territorium aliquod comparauit, erunt deferendae, tum, quia proprietas ſeu dominium directum ad recipiendas appellationes praeciſe non eſt neceſ-

Obiectio alia.

Reſponſio.

neceſſarium, tum, quia Vaſallus vtili dominio rei, non ſolum titulo pignoris, ſed et nomine Iuris Vaſallitici, collatae, vsque ad reluitionem, citra dubium regulariter etiam quoad quaeuis Iurisdictionalia, (quo et omnino receptio appellationum referenda,) in feudo pleniſſime ratione exercitii gaudere debet. vid. *D. Marbach. Diſſert. de Feudo Pignoratit. Theſ. 19.* Quid, quod tandem etiam omnino ſufficere videatur, ad probandum id, quod intendimus, dummodo vel ſolum negotium Contractus pignoratitii hic ſupponamus. Quandoquidem non tantum ſecundum Ius Gentium, ſed et in ſpecie mores antiquos Germanorum, Contractus pignoratitius a Contractu Empt. Vend. ſub pacto de retrouend. parum differebat, dum conſtitutio pignoris iam omnes effectus ſecum trahebat, qui contractui Empt. Vend. ſub pacto de retrouendendo, alias annexi ſunt; adeo, vt non ſola poſſeſſio, ſed et ipſum dominium, quanquam reuocabile, cum poteſtate percipiendi quoscunque fructus, absque neceſſitate reddendae vllius rationis, translatum fuerit; prouti hoc ex genuinis fundamentis eruunt, atque exemplis luculenter probant, *Dn. Gundling. de Iur. oppign. Territorii. ICti Helmſtadienſes in Reſponſo de Anno 1659. item Gryphiswaldenſes, in Reſponſ. de Anno 1687. Referente Sam. Stryck. Continuat. Vſus Modern. Pand. L. XIII. T. 7. §. 6.* add. *conſentiens L. B. de Lyncker. Diſſert. de Superiorit. Territ. Thomaſius Diſp. de Vſu practico accuratae diſtinctionis inter Emt. vend. ſub Pact. de retrou. et Contractum pignoratitium. Dn. de Berger in Oeconom. Iuris Lib. III. T. 2. §. 14. not. 8. et inprimis Dn. Schilter, Prax. Analyt. Part. III. de iur. retrou. p. 181. ſeqq.* conf. *Author Reſolutionum Iurid. nouiſſime editar. Quaeſt. VI. Vnde dignoſci debeat: an Contractus aliquis ſit Pignoratitius, an vero Emtionis venditionis cum pacto de retrouendendo.*

XIII.

Idque III. eo magis, quia in Contractu emptionis venditionis, vel pignoris, ſiue etiam literis inueſtiturae, quoad receptionem appellationum, et, quod illae ad Caeſarem aut Cameram Imperialem fieri debeant, nihil plane contra Priuilegia Auſtriaca fuit exceptum. Nec rem conficit, quod hic Aduerſarii regerant, nulla opus fuiſſe exceptione; eo ipſo enim, aiunt, cum inſtrumento venditionis, vel oppignorationis, vel infeudationis, quoad receptionem appellationum, et, quod illae vna cum Iudiciis iſtis Prouincialibus non ſint translatae, nihil ſit expreſſum, inde ſatis colligi, ipſas Imperatori eſſe reſeruatas; ſiquidem ſuprema appellationum receptio maioribus Regalibus et Reſeruatis Caeſareis in ſignum ſupremae eminentiae adnumeretur, et Maieſtati Caeſareae inſeparabiliter adhaereat, ita, vt ſub nulla, ne quidem generaliſſima omnium Regalium conceſſione veniat, ſed, niſi formaliter exprimatur, dilucide potius denegata cenſeatur. *Sed vero* facilis videtur ad haec reſponſio: cum enim primo certum ſit, indultum eſſe Auſtriacis, iuxta tenorem ſatis clare expreſſum Diplomatis Friderici, Ius generale de non appellando, in omnibus ſuis ditionibus tum praeſentibus ſimulatque etiam in futurum adhuc quibusuis titulis ampliandis; hinc ſane extra dubitationis aleam poſitum videtur, eos omnino intentionem habere fundatam, ſi eiusdem Priuilegii vim, ad ea pariter, quae titulo pignoris aeque ac alio acquiſiuerunt, ſuae ditionis fecerunt, tamdiu extendere ſibi praeſumant, donec, ratione talium, per modum exceptionis, ſiue ſpecialis conuentionis, aliud quid inter contrahentes ſtatutum fuiſſe, liquido oſtendi poſſit; cum alias merito omnia ſub diſpoſitione Iuris ſingularis, alicui ſemel quaeſiti, relicta in-

Ratio decid. III.

Obiectiones.

Reſponſio I.

Digitized by Google

telligantur, vtpote quod nemini inuito vlla ratione interuerti vel auferri poteſt, nec debet, ita, vt ipſe quoque ſummus Imperans omnes motus, actiones et contractus ſuos ſemper eo, et, vt quam minimum a Priuilegio cuiusuis extra ſummum neceſſitatis publicae caſum recedat,
Reſponſio 2. direxiſſe praeſumatur. *Neque* ergo ſecundo illud, quod ſuprema appellationum receptio Caeſareae Maieſtati tanquam reſeruatum inſeparabiliter adhaereat, ac nemini concedi poſſit, aliter accipiendum erit, quam de prouocatione omnium vltima, quae e. g. inſtituitur per viam querelae, ob denegatam iuſtitiam, qualis cum vtique, ſecundum ipſa ſupra tradita, etiam vbique in Iudiciis Auſtriacis cuilibet ſemper ſalua maneat, nil ſupereſſe videtur,
Reſponſio 3. quod amplius hoc nomine regeri queat. *Praeterea* infirmam, ac ipſi Praxi in Imperio noſtro Germanico contrariam, imo ratione quoque ipſorum Electorum aliorumque Imperii Statuum, praeiudicii plenam opinionem fouent, qui putant, non poſſe quaelibet Iurisdictionalia, atque ita etiam Ius de non appellando, tam quoad cauſas, quam ditiones illimitatum, vti nec quaeuis alia Regalia, etiam ea, quae Imperatori peculiariter ſunt reſeruata, ne quidem ex ſpeciali ipſius conceſſione, alioue legitimo modo acquiri. Interim autem Ius Auſtriacorum hac in parte tanto certius eſt, quia

XIV.

Ratio decid. IV. IV. Priuilegia Eorum expreſſe etiam loquuntur de Prouinciis *Oppignoratis*, vt nec in illis Appellationes vllae ad Cameram Imperialem vel Iudicium Caeſaris Aulicum admitti debeant, vt liquet ex roboratione Immunitatum Auſtriacorum Caroli V. de A. 1530. ibi: **Und, was alſo von des Fürſten der Oeſterreichiſchen Landen verordneten und geſetzten Hoff-Land- und andern Gerichten, die**

die ſie Eigenthums-Lehen-oder Pfandweiß vom Reich, oder ſonſt innhaben, oder andern ihren Gerichten, mit Urtheil und Recht erkandt, und entſchieden würde, dabey ſoll es endlichen bleiben, es wäre dann, daß die Sache Appellation auf ihr trüge, ſo ſoll demſelben nach Ordnung des regierenden Landes-Fürſten, und der Lands-Gebräuch, auch nicht weiter dann in des Lands-Fürſten Cammer-Gericht vollführt, und darüber an Uns, noch Unſer Nachkommen am Römiſchen Reich, Kayſer oder König, noch an des Reichs Cammer-Gericht nicht appellirt, ſupplicirt, noch reducirt, auch keine Weigerung von des Fürſten von Oeſterreich Gerichten, Urtheilen und Erkändtnüſſen, bey dem Reich angenommen werden.

Hanc igitur Caroli V. ſi ſequimur mentem, res plana eſt plenarie. Priuilegium enim cum ita ſe habeat, vt non tantum de Territoriis propriis, ſed etiam Oppignoratis clare loquatur, et ab iis appellationes ad Cameram, citationes, compulſoriales, exhibitiones et ſimiles proceſſus contrarios fieri, ſerio, imo et ſub grauiſſima poena prohibeat, et, quae in contrarium fiunt, vel facta ſunt, irritet et annihilet; eidem merito ſtandum erit, nec dubium, nec voluntatis quaeſtionem admittet, veluti, quae in claris locum non habet, ſed omnis dubitatio circa talia vana et cauilloſa in Iure dicitur. *L. 25. ff. de Legat. 3.*

XV.

Verum, cum in hoc ipſo argumento totius negotii cardo pendere, et fere fundamentum principale conſiſtere videatur; hinc aduerſarii omni niſu eidem ſeſe opponunt, atque illius validitatem prorſus negare non dubitant, ex eo inprimis: quod etiamſi Imperator in allegato

gato priuilegio manifeſto id egerit, vt expreſſa voluntate atque conceſſione plane ſpeciali Ius de non appellando ad Prouincias oppignoratas quoque extenderet, tamen hoc
Obiectiones facere in Ipſius poteſtate haud fuerit: *cum* 1) id vergat
1. in Statuum ac Imperii damnum, huiusque iurisdictionis ſupremae imminutionem; eiusmodi autem priuilegia Imperatorem concedere, vel ad laeſionem Iurium aliorum
2. extendere non poſſe. Idque 2) tanto minus, *quoniam* ab initio Imperii Romani appellationes ſemper ad Caeſaream Maieſtatem, eiusque Aulam, vel alia Conſiſtoria ſuprema, ſunt deuolutae, donec ſaepius dictum Priuile-
3. gium concederetur. 3) *Aiunt*, iuramento obſtrictum eſſe Imperatorem, Iura Statuum ac Imperii intacta et firma conſeruare, neque illa in alium transferre.

XVI.

Reſponſio ad Obi. 1. Aſt vero, ad haec huiusque generis obiecta alia non ſine firmiſſimis rationibus reſponderi poſſe, exiſtimamus: *Primo*, omne id, quicquid Carolus V. in ſaepius allegato Diplomate circa Ius de non appellando, praeſertim etiam quoad ditiones Auſtriacis *Oppignoratas*, expreſſe ſtatuerit, non nouam conceſſionem, neque adeo extenſionem proprie talem dici poſſe, ſed potius declarationem ſolummodo, atque genuinam interpretationem et confirmationem illius Iuris eſſe, quod iam pridem antea a primordio ſtatim in ipſa Friderici I. Conſtitutione praeter alia ſimul ſub generaliſſima diſpoſitione comprehenſum, indeque ab antiquiſſimis temporibus, ex mente Imperatoris, Auſtriacis legitime competierat. Quod ſatis perſpicue pateſcit, dummodo ipſa Priuilegii verba, ſupra in prima decidendi ratione adducta, ſecundum proprium ſuum tenorem atque efficaciam, ad omnes quarumuis adqui-

adquiſitionum titulos, ſiue modos legitimos, vti in genere, ita eo ipſo quoque ad quaslibet ſpecies ſponte ſe extendentem, nihilque plane excludentem, paulo penitius conſiderentur. Qua de re cum nihilominus tamen poſtea nonnulli forſan dubitare, aut ſecus ſentire coeperint, Imperator expreſſa illa declaratione ſuaque interpretatione authentica errori cuiuis occurrere conſtituit; a cuius placito igitur eo minus licebit recedere, quia omnino interpretatio Priuilegiorum, ſicubi de eorum mente vel ſenſu, praeprimis in ſubſtantialibus, dubium incidit, ad ſolum Imperatorem, tanquam concedentem, pertinet. vid. *Hombergk. I. P. C. XVII. §. 30. Knipſchild. L. III. C. IV. n. 95. ſqq.* *Et*, *licet* quidem inde Iurisdictio Caeſaris et Imperii vniuerſalis quadantenus ſiſti, atque libertas Statuum eorumque ſubditorum, non parum reſtringi videatur; propterea tamen hocce Caroli V. Priuilegium confirmatorium tanto minus hic pro laeſione Iurium aliorum haberi poterit, quoniam id non niſi verum, et natiuum ſenſum conceſſionis primaeuae, a Friderico I. aliisque Impp. iam olim factae, monſtrat et complectitur. Haec ipſa autem pro baſi quondam habuit cauſas maxime legitimas, vtilitatem ſcil. ſummamque, qualis alias omni lege carere dicitur, neceſſitatem publicam. Pacem, inquam, et tranquillitatem Reipublicae, eo tempore, quo ob litem et controuerſiam inter Auſtriae ac Bauariae Duces, totum Imperium Rom. Germ. bello implicatum atque innumeris calamitatibus afflictum erat, donec tandem Optimus Imperator, transactione inter partes litigantes multo labore procreata, et Priuilegiis eiusmodi lautiſſimis Auſtriae Ducibus in ſatisfactionem ſponte oblatis, omnia feliciter compoſuit, Germaniaeque Pacem reſtituit. vid. *P. W. V. Hoernick.* Hiſtoriſche Anzeige von denen Priuilegiis

gliis des Ertz-Hauſes Oeſterreichs *pag. 17. ſeqq.* Quibus ſane eo minus eſt, vt quisquam iure repugnare queat, cum non modo tum temporis adhuc fortius Imperatoris Dominium eminens, et plenior, quam forſan hodie, de Republ. eiusque iuribus diſponendi fuerit facultas; ſed et inſuper eadem omnia ex voto vniuerſi Imperii deque Conſilio, Iudicio ac conſenſu expreſſo omnium Procerum acta et conceſſa ſint.

Reſponſio ad Obi. 2. Hinc etiam *ſecundo* reſpondendum: mirum haud eſſe, quod quidem olim ab huiusmodi Iudiciis ad Caeſaream Maieſtatem, eiusque ſumma dicaſteria, multis retro ſeculis, imo ab exordio Reipubl. Rom. Germ. prouocationes nunquam non relictae fuerint. Iſtis enim temporibus antiquiſſimis facultas appellationes in Imperio impediendi, ſiue ad fora ſua trahendi, neque vlli alii, neque adeo etiam Auſtriacis competere potuit; partim ideo, quoniam tum ipſis Priuilegium illud generale ac abſolutum, nondum conceſſum fuerat, tum, quia deinde, iſthoc licet obtento, eiusmodi tamen ditiones, de quibus quaeſtio eſt, nondum poſſederant, in quibus Priuilegium hoc ſuum exercere potuiſſent; quorum vero vtrumque poſtquam factum eſt, Ius quoque Auſtriacorum ratione talium Prouinciarum *Oppignoratarum* ſpeciatim ſeſe demum exſerere, atque cum effectu ipſo applicari potuit, quod tamen iam antea virtualiter, et ſi Scholaſticorum terminis rem expedire velimus, aptitudinaliter ſaltim, ſicque ad quamlibet materiam obiectiuam, tam futuram, quam praeſentem applicabile, primitus per ipſam Conſtitutionem Friderici I. reuera iisdem attributum erat. Vt adeoque hiſce praeſuppoſitis, iniuſti nihil petierint Auſtriaci, ex quo intuitu iuris huius ſibi competentis, appellationes a ſuis Tribunalibus aliorſum fieri in quibuscunque ſuis ditioni-

Digitized by Google

ditionibus vel Iudiciis, etiam *Oppignoratis*, ſerio interdixerunt, atque omnimodo impedire hactenus ſtuduerunt. Et, quamuis forſan olim Archiduces nonnulli hoc ſuo Iure adeo ſtricte quidem non vſi perhibeantur, vt etiam poſt oppignorationes iamiam factas, et adhuc ante ſaepe dictum Priuilegium Caroli V. quilibet ius a Iudiciis Prouincialibus Sueuiae ad Caeſarem eiusque ſuprema Conſiſtoria appellandi, actiue et paſſiue, nemine contradicente, exercuerit; certiſſimum tamen e contra eſt, id quicquid fuerit, neutiquam vniuerſae familiae Auſtriacae, et quibuscunque ſucceſſoribus, eousque praeiudicium afferre valuiſſe, quo minus omnia ea, quae ab vno vel altero indulta, et conniuendo vel non animaduertendo, contra Priuilegia familiae, in omne aeuum data, forte admiſſa fuere, reuocari, caſſari, annullari, et irrita declarari, inque ſtatum ſuum ac vigorem integrum reſtitui potuerint; prouti hoc partim iam initio ſtatim in anteceſſum ab ipſo primo concedente Friderico Barbaroſſa, et deinceps praecipue a Carolo V. factum eſſe deprehendimus, additis efficaciſſimis hiſce clauſulis: unangeſehen, ob hievor aus Uberſehung oder einigen andern Urſachen dergleichen viel oder wenig beſchehen wäre, oder noch beſchehen würde, auch unangeſehen allen Conſtitutionen, Satzungen und Ordnungen, die hierwieder gemacht ſeyn möchten; dann wir demſelben allen und jeden, aus Kayſerl. Macht, Vollkommenheit und Rechten Wiſſen derogiren und widerſprechen, und alles, was darwider gehandelt iſt, oder wird, caſſiren und vernichten, wiederruffen und gäntzlich abthun ꝛc.

Quod denique *tertio* iuramentum attinet, quo Imperator Regalia Imperii atque Iura Statuum illaeſa conſeruare, neque in alium transferre obſtrictus dicitur; ad hoc repo- *Reſponſio ad Obi. 3.*

Digitized by Google

reponimus: idem omnino in fauorem Auſtriacorum quoque valere et conſtitutum eſſe, eo quidem, vt et ipſi in iuribus ſuis quibuscunque legitime quaeſitis ab Imperatore et Imperio relinqui atque manuteneri debeant; deinde vero, translationes ſiue ceſſiones Iurium Imperii, vel ex cauſis, ſupra in §. XVI. allegatis, factas, non ſimpliciter eſſe illicitas, alias enim nec ipſorum Electorum, aliorumque Imperii Statuum iura, quoad maximam partem, in tuto collocata fore.

Ratio decid. V. V. quia iuxta aſſerta Sereniſſimae Domus Auſtriacae fundatiſſima, ipſum Caroli V. Priuilegium a toto Collegio Electorali fuit comprobatum, imo a ſingulis Electoribus, durch verbriefſte Gewehre bewilliget worden, atque ita in formam pragmaticae quaſi ſanctionis confirmatum; cum ergo pragmaticae eiusmodi ſanctiones vim Legis Patriae irrefragabilem habeant, ſingulos vtique aut ad obſeruantiam, aut ad poenam conſtringent. Quare etiam idem Priuilegium non ſolum Camerae Imperiali ſolenniter eſt inſinuatum, ſed et eidem ab Imperatore Carolo V. pariter ſub poena 50. Marcarum auri, non ſemel, ne appellationes a Iudiciis iſtiusmodi Prouincialibus recipiat, demandatum, prout ex literis Ferdinandi I. anno 1556. d. 22. Aprilis ad Sueuicum Circulum datis, ſub §. Zum andern ibi: Auch ihr Liebden und Kayſerl. Mayſt. Cammer-Richtern und Beyſitzern ernſtlich und bey hoher Poen verbotten und befohlen, daß ſie keine Appellationes von denen Land-Gerichten in Schwaben annehmen, und kein Proceſſ darüber ausgehen laſſen ſollen ꝛc. item Imp. Ferd. III. patet, quod et ipſa Camera in reſponſione ſua ad hunc humiliter agnouit; conf. ſupra §. X.

Neque

Digitized by Google

Neque haec euertunt ea, quae nonnulli dicunt: *quoad* aliquos Electores contrarium, eorumque potius diſſenſum notum eſſe. *Item*, Conſtitutiones pragmaticas, ne quidem omnes Electores cum Imperatore in praeiudicium eorum, quorum intereſt, ipſis non auditis, hodie facere poſſe. *Praeterea*, ex Deputatorum Viſitationis ſpeciali Decreto, quod videre eſt apud *Goldaſt.* Politiſchen Reichs-Händlen *Part. 25. fol. 1033.* conſtare, quod Camerae Imperiali mandatum fuerit, vt, non attentis Auſtriacis Priuilegiis, Iurisdictionem ſuam tueatur. *Nam* reſpondemus quoad primum: nondum probaſſe, nec probare poſſe aſſertum ſuum contradicentes, nullam ergo hactenus mereri fidem. Quod ſi etiam probent, rationem tamen vrgentem perſpicere haud licet, cur hic vnanimem omnium Electorum conſenſum ac approbationem neceſſario requiramus, cum talis nec in aliis negotiis, forſan aeque magni momenti, praeciſe ſit neceſſarius. *Item* etiam abſolute hic non quaeritur, quid poteſtatis hodie ſolus Imperator cum Electoribus circa pragmaticas ſanctiones in Imperio introducendas proprie habeat; verum haec duo potiſſimum in quaeſtionem veniunt, et ad rei deciſionem proxime facere videntur: *Primo*, annon olim ſaltim Imperatores, et nominatim Fridericus I. bona aut Iura Imperii, iuſtis et legitimis ex cauſis, approbantibus inprimis Imperii Proceribus, initis deſuper transactionibus et conceſſis Priuilegiis, in quoscunque transferre potuerint? *Deinceps*, annon, ſi quid ibi fortaſſis dubium viſum, aut generalioribus ſaltem verbis conceptum fuit, Carolus V. mediante congrua interpretatione, mentem ac ſenſum primi concedentis vlterius deducere, et ſpecialioribus terminis exprimere, et authentice declarare, ſimulque ita impoſterum firmius cuncta et ſingula roborare

Obiectiones 1. 2. 3.

Reſponſiones ad 1. *ad* 2.

Digitized by Google

valuerit? Et ſane, quemadmodum prius, illam nempe de rebus Imperii, conſilio atque conſenſu Procerum, ſaltim praecipuorum, adhibito, cum effectu diſponendi facultatem, reuera quondam Imperatoribus competiiſſe, certiſſimum eſt ex innumeris fere exemplis, quae priſcorum temporum ſuppeditat hiſtoria. v. *Schwed. I. P. S. I. C. 23. §. 2.* et *Lynker. de Poteſtate alienandi Imperii bona Cap. II. th. 5.* it. *in Analectis ſuis ad Schwed. l. c. Gundling. de Iure oppignor. Territ. §. 42. ſeqq. Steph. Harprecht de Oppignor. Imp.* Ita, quamuis poſtea illa per Capitulationes Caeſareas ab ipſa Caroli V. aetate ceſſare, ſiue arctius reſtringi coeperit; tamen poteſtatem quoque Immunitates ſeu Priuilegia vni vel alteri in Imperii bona vel Iura, olim ab anteceſſoribus conceſſa, interpretandi vel declarandi, ſimul Imperatori ademptam fuiſſe, nulla lege vel ratione probari poteſt. Adeo, vt potius, ſuo modo non minimum circa poteſtatem in Imperio legislatoriam Ius Imperatori adhuc reſeruatum eſſe, dicendum ſit; conſequenter etiam, quicquid Is hac in parte ſtatuerit, ratum firmumque, imo citra dubium, eiusmodi interpretationes et conceſſiones declaratoriae, ſi Camerae rite fuerint inſinuatae, pro Conſtitutionibus pragmaticis haberi atque hodienum omnino valere debeant.

ad 3. Sicque ergo *praeterea* concludendum, decreta illa, inhibitiones et mandata quaecunque a Deputatis Viſitationis, vel aliunde Camerae inſinuata, vt, non attentis Auſtriacorum Immunitatibus, ſententias ſuas pronunciaret, tanquam irrita atque nulla habenda eſſe, vtpote facta non modo contra Iura Sereniſſimae familiae Auſtriacae legitime quaeſita, ſed et ipſam poteſtatis Imperatoriae praeeminentiam, Caeſareae Maieſtati, cum in concedendis, tum interpretandis priuilegiis, hactenus reſeruatam, eique ſoli competentem.

XVII.

Google

XVII.

His itaque poſitis, ſimulque ab obiectiunculis paſſim incidentibus paulo prolixius vindicatis, eo breuiori opera iam abſoluere licebit reſponſiones ad argumenta aduerſariorum contraria, ſupra in §. XI. principaliter allata. Et quidem quod *Reſponſiones ad Rationes dubitandi principales, ſupra allatas.*

I. attinet, Reſp. ſimpliciter verum non eſſe, quod Auſtriaci reſpectu Iudiciorum illorum Sueuiae Prouincialium, tantummodo Landuogtii perſonam ſuſtineant, non ſuam; quis enim dicat, eum, qui rem aliquam tam iure pignoris quam feudi titulo poſſidet, non niſi alienam ſolummodo ſuſtinere ſeu repraeſentare perſonam, nequaquam vero ſuam? Annon quaeſo ſuſtinet et repraeſentat etiam perſonam ſuam propriam, ſaltim vel vt Creditor, als Pfand-Innhaber, vſque ad reluitionem, vel vt Vaſallus, vſque ad conſolidationem dominiorum, directi ac vtilis? Quod ſi vero Antagoniſtae hoc intendant, quaſi Auſtriacis non plus Iuris competere poſſit, quam quidem veteres illi Praefecti habuere, qui olim quoque ante ipſos Iudicia iſta Prouincialia, vice Imperatoris, exercuerunt, et a quibus tamen appellationes ad Caeſarem eiusue Iudicium Aulicum licitae fuerint, maxime, cum Regula ſit notiſſima, quod omnes res tranſire cenſeantur, ſub eadem conditione et qualitate, qua fuerunt apud Anteceſſores: tunc partim hic repetenda erunt, quae iam ſupra §. XVI. Reſp. ad Obi. 2. attulimus; deinde negamus, praedictam regulam ita in perpetuum procedere, etiam quoad illos, qui ex ſingularibus cauſis per ſpeciales tranſactiones atque conceſſiones a ſummo Imperante vel Republ. ſunt priuilegiati, et, vbi aliter de eiusdem voluntate ſat clare conſtat; tali enim in caſu dubitandum haud eſſe, exiſtimamus, quod vtique per alienationes *Reſponſ. ad I.*

vel

Digitized by Google

vel oppignorationes et traditiones Principatuum, Ducatuum, Comitatuum, et ſimilium, iura quoque priora, vti in aliis, ita etiam circa Iudicialia, ratione ſaltem noui acquirentis, talique modo priuilegiati, eatenus mutari poſſint, vt omnia ex Iure ipſi quaeſito, ac proprio poſtmodum veniant regulanda.

Reſponſ. ad II. Ad II. Reſp. Iudicia Sueuiae Prouincialia ſubalterna eſſe, et propterea etiam olim ab iisdem appellare licitum fuiſſe, vltro quidem concedimus, ſi ſcil. conſiderentur in ſe, reſpectu temporum praeteritorum et conſtitutionis ſuae primaeuae; aſt numne interim, hancce priſtinam ſuam qualitatem amiſerint, et, poſtquam in manus Auſtriacorum iuſto titulo peruenere, eo ipſo aliam plane naturam induerint, ita, vt hodie potius ex Iure illorum ſingulari metienda ſint, id quidem eſt, quod contendimus, et iuxta praemiſſa etiam atque etiam aſſerere nulli dubitamus.

Reſponſ. ad III. Ad III. Reſp. Licet equidem nonnulli Imperii Ordines hac in re praeiudicium haud leue vel damnum ſentire querulentur: attamen id, quod patiuntur, non tam praeiudicii, quam potius officii ſeu obligationis rationem habere videtur. Oportet nimirum, vt hoc, quicquid eſt, tribuant infortunio ac neceſſitati maxime vrgenti, qua quondam Reſpubl. laborabat, ob cuius ſalutem, vtilitatem, et pacem communem, ſiue reconciliandam, ſiue conſeruandam, quod ſaepius pauci, quo pluribus bene ſit, aliquid circa bona vel Iura ſua incommodi ferre, ac aliis in ſatisfactionem, modo directe, modo per indirectum et accidentaliter, cedere teneantur, Politicorum Regula ſuprema eſt. Quin imo tanto minus iniquitatis hic ineſſe videtur, quod e contrario etiam ex parte Auſtriacorum potius maximum praeiudicium verſaretur, eorumque inten-

Digitized by Google

intentioni omnino repugnaret, quandoquidem alias nimis parum pro pecunia ſua credita ipſis conceſſum foret, ſi appellationes a Iudiciis illis *Oppignoratis* aliorſum deferre liceret; quippe hac ratione ipſorum Iuriſdictio non tantum valde reſtricta eſſet, ſed et ſaepius fruſtranea atque inanis reddi, imo ſic omne propemodum eorum Ius facile eludi poſſet, quod tamen titulo ſatis oneroſo adquirere, nec minoribus ſumptibus hactenus ſuſtentare neceſſe habuerunt.

Ad IV. Reſp. Quid Domini Adſeſſores Camerales, ſiue publice ac iudicialiter, ſiue priuatim in eiusmodi praecipue rebus, vbi ipſi, vt vulgo hodie loquimur, ſunt intereſſati, cenſeant, aut concedant, parum attinet, cum eorum Authoritas alias etiam abſolute nec Ius nec legem faciat, verum id potius reſpiciendum, quid reuera Iuſtitiae cauſa iuxta tenorem Priuilegiorum Auſtriacorum ferat, et, quousque haec ſecundum mentem ac authenticam Imperatorum declarationem ſint extendenda? *Reſponſ. ad IV.*

Ad V. Reſp. Fruſtra ab aduerſariis hic Praxin Imperii et quaſi poſſeſſionem Camerae iactari: Vtut enim haec de facto quidem appellationes a Iudiciis ſaepe dictis recipere ſubinde tentauerit, eius tamen citationibus, mandatis ac decretis, Auſtriaci, praeſertim a tempore Priuilegii declaratorii Caroli V. nullatenus paruerunt. Quod ſi etiam forſan antea ab vno alteroue eiusmodi quid admiſſum, atque hactenus iuri ſuo particulariter renunciatum fuerit; id tamen Immunitati Sereniſſimis Archiducibus, vt vniuerſis et ſingulis datae, nil quidquam derogare valuit; quin imo tanto magis hodie iactitata iſta Praxis Imperii prorſus pede ſtat infirmo, poſtquam e contrario Domus Auſtriaca appellationes a Iudiciis illis Prouincialibus non ſolum recipiendi, ſed etiam easdem ad Came- *Reſponſ. ad V.*

Digitized by Google

ram Imperialem fieri, prohibendi ius ſuum inde iam circiter ducentos annos, et ita vltra tempus immemoriale, continuo exercuit. Vt ergo hactenus pariter propter prohibitiones et perpetuas contradictiones ex parte Auſtriacorum factas, Camera etiam nunquam in quieta poſſeſſione appellationes ad ſe trahendi, ſed omnis poſſeſſio inde penitus interrupta fuerit: cum praeter ſcientiam et patientiam alterius partis circa iura incorporalia nulla detur poſſeſſio: ſed eadem per diſpatientiam, verbis vel factis declaratam, plane euertatur.

Reſponſ. ad VI.

Ad VI. Reſp. Aut in Capitulationibus Caeſareis ſupponi Imperatorem ex familia Auſtriaca, qui ſimul ſit Archidux regens, aut non: ſi vltimum, pro certo habemus, quod ne quidem Electores ſoli eligendum obligare in futurum valide poſſint, vt aliquid faciat, quod eſt contra Ius legitime quaeſitum Sereniſſimae Domus Auſtriacae, vel etiam alterius cuiuscunque Status Imperii: ſi vero prius, penes ipſum ſtabit, quatenus non ſolum Iuri ſuo pro ſe in particulari renunciare, ſed et praeterea, quid ratione aliorum ex familia inſuper promittere, ac, ſi poteſt, promiſſa pro viribus adimplendo, conſcientiae conſulere velit.

XVIII.

De occaſione, quare iamdudum Status Imp. in votis poſuerint, vt omnia iſta Iudicia ſubalterna, die Kayſerl. Land-Gerichte, tollerentur.

Ex hactenus adductis tam fortiter pro Iure de non appellando a Iudiciis iſtis Sueuiae Prouincialibus militantibus, nunc etiam facile liquet, qua ratione quaue occaſione, Status Imperii iam pridem in votis poſuerint, vt Imperialia omnia Iudicia, tam Sueuiae, quam Franconiae, Rhenoque vicinarum prouinciarum, pariter ac Rothwilenſe, penitus tollerentur. Nimirum conſtat, non ſolum de Iudicio hoc in ſpecie Rothwilenſi iam a multis temporibus multas Ordinum Imperii fuiſſe querelas, (quae patent ex

tent ex *R. I. Wormat. de 1531. §. 17. ex Capitul. Matthiae art. 16. Ferd. II. art. 17.)* qui non ſemel eiusdem abolitionem etiam in Tractatibus Pacis Weſtphal. admodum vrſerunt, quod vero ad proxima Comitia tum fuit reiectum. vid. *Inſtr. Pac. Weſtphal. Art. V. §. 29.* vbi, cum de eodem Anno 1654. ageretur, Comes tamen Sulzenſis et Senatus Rothwilanus, pro hac impedienda exhibuerunt Memoriale, quod vocarunt: **Handhab der Röm. Kayſerl. Majeſtät Uhralten Kayſerl. Hoff-Gerichts zu Rothweil,** vide apud *Londorp. Tom. V. Lib. VII. Cap. 247. Maurit. de Iudic. Rothwil. Cap. IV. §. 7.* add. *Kemmerich. in I. P. L. VI. C. 6. §. 12.* Quo quidem ex rationibus ibidem deductis effectum eſt, vt ſuſpenſa abolitione, in hunc vſque diem Ius ibi dicatur, atque inde etiam in Capitulationibus Leopoldi et Ioſephi, vt et Moderni Glorioſiſſimi Imperatoris tantummodo de corrigendis abuſibus, ſi qui deprehendantur, ab Electoribus cautum ſit. vid. *Schwed. I. P. P. S. I. Cap. 14. §. 10. Hennig. ad Capitul. Ioſeph. art. 17. p. m. 207.* Sed et teſtatiſſima ſunt grauamina ordinum de An. 1645. d. 10. Nouembr. exhibita Oſnabrugis de extinguendis caeteris Imperii Prouincialibus Iudiciis, **von Aufhebung der Kayſerl. Land-Gerichten in Schwaben, Francken, und dem Rheinſtrohm,** vid. *Ludwig. in German. Princip. Lib. I. Cap. III. §. XXVI. Lit. O.* Verum paria iisdem cum Rothwilenſi obtigerunt fata, et quidem inprimis ratione Iudicii Prouincialis Sueuiae oppoſuere ſe hactenus, proque eo conſeruando merito omnem mouerunt lapidem, propter intereſſe ſuum iuſtiſſimum, illud exercentes Archiduces Auſtriae, quorum proteſtationes ac rationes, ob quas id minime ipſis inuitis aboleri poſſe crediderunt, videre licet in ſcripto impreſſ. Anno 1658 cui titulus: **Kurtze doch gründliche** Information, **aus was wichti-**

Quid velint hic Capitulationes Imperatorum.

An inuitis Auſtriacis aboleri poſſint?

wichtigen und ſtandhafften Urſachen, das Kayſerl. Land-Gericht in Schwaben nicht aboliret, noch dem Hoch-löbl. Ertz-Hauſe Oeſterreich, wider ſeine uhralte, erlangte, und durch beſtändige Ubung hergebrachte treffliche Freyheiten, der rechtlichen Austräge halber nichts neues oder beſchwehrliches zugemuthet werden kan und ſoll. apud *Sprenger. Iur. Prud. publ. p. 57. ſeq.* et *Dn. de Hein. I. P. Lib. V. Tit. V. §. 3.*

Quantum praeeminentiae Archiduces intuitu illorum Iudiciorum ſuper alios Status Imp. habeant.

De caetero tandem ſub finem huius Capitis adhuc tribus ſaltem annotari omnino meretur ſingularis plane Archiducum praerogatiua, qua etiam intuitu Iudiciorum illorum Prouincialium Sueuiae, maxime cum ab iisdem, ceu hactenus pluribus demonſtratum eſt, nullae dentur appellationes, prae omnibus aliis Imperii Principibus, gaudent. Concurrunt enim hac ratione in Iurisdictione, cum Statibus Circuli Sueuici non priuilegiatis, vbi tamen etiam caſus reſeruati, **die Ehehafften**, quos vocant, locum habent, ita, vt non tantum in ſubditos mediatos, ſed et ipſos Status, aliaque Illuſtria Imperii membra poteſtatem iudiciariam exerceant, perſonarum quodammodo eorum rerumque veluti arbitri ac moderatores; quo ipſo ſane Auſtriacorum Principum Supereminentia, Authoritas et Potentia in Imperio quam ſplendidiſſime conſpicitur aucta atque ſuffulta.

CAPVT VI.
DE
PRAEROGATIVIS SERENISSIMAE DOMVS AVSTRIACAE IN FEVDALIBVS.

I.

De loco vbi Dux Auſtriae inueſtituram petat atque recipiat.

Inter Iura ſingularia ratione Feudalium, praecipuum Caput eſt, quod Archidux Auſtriae non teneatur inueſtituram petere extra ſuas ditiones; ſed illa in iisdem Ipſi debeat

Digitized by Google

debeat ab Imperatore conferri, in quo ſane multo potius, more inſolito, videtur Ius Vaſalli quam Domini; quod etiam nulli Electori vel alii Principi in Imperio conceſſum eſt, vtpote quorum omnium Inueſtitura fieri debet in aula Imperatoris. Ac, ſi Archidux ter, vt in Auſtria ſibi conferantur feuda ſua, per literas deſiderauerit, nec impetrauerit, perinde habetur, ac ſi inueſtitus eſſet, per priuilegium Friderici ibi: *Nec pro conducendis feodis requirere ſeu accedere debet Imperium extra metas Auſtriae, verum in terra Auſtriae ſibi debent ſua feuda conferri per Imperium et locari. Quod ſi ſibi denegaretur, ab Imperio requirat et exigat litteratorie trina vice, quo facto iuſte poſſidebit ſua feuda ſine offenſa Imperii, ac ſi ea corporaliter conduxiſſet.* conf. *Priuileg. Caroli V. §.* Sie ſeyn auch nicht ſchuldig, um Empfahung Ihrer Lehen auſſerhalb des Landes Oeſterreichs nachzureiſen, ꝛc. *ap. Lünig. et Londorp. l. all.*

§. II.

De ritu ac apparatu ſingulari quo inueſtiendus.

Deinde in actu ipſo Inueſtiturae, Archidux veſte Principali conſpicuus, tecto capite, pileo ſcil. Archiducali, coronaque circumdante ornatus, equo inſidens, baculumque ſiue ſceptrum argenteum manu tenens feuda ſua ab Imperio recipit. Quae dicta corona admodum participat de ipſo diademate Regio ac Caeſareo, et tria genera praerogatiuarum, nempe ſeptem acumina, coëuntes circulos, crucemque eisdem impoſitam complectitur, iuxta dicta Priuilegia Friderici I. item Confirmationem Friderici II. et Henrici, indeque et Caroli V. formalia, vti exhibet *Londorp. l. c.* ibi: Der Ertz-Hertzog von Oeſterreich hat die Würdigkeit vom Reich, daß er der Kayſerlichen Cron Diadem und das Creutz, auf ſeinem Ertz-Hertzog-Hütlein öffentlich tragen mag.

Digitized by Google

mag. apud *Münſt. in Coſmogr. L. III. de Germ. p. m. 940. et ſeqq. Limn. Lib. V. C. 2. n. 29.* Qui ſingularis plane inueſtiturae ritus tanto inſigniorem praeferentiae Archiducum notam indicat, quod ne minimus quidem actus ſubmiſſionis in illo occurrat, et e contra nulli alii ex caeteris Principibus, ne quidem Electoribus, tale quid conceſſum ſit; qui omnes ad humilem feudorum ſuorum recognitionem obſtricti, vel ipſi in perſona, ſi Imperator hoc requirat, vid. *Klock. de Aerario, L. 2. C. 41. n. 4 in pecul. conſil.* vel ſaltim per ſuos legatos coram throno Caeſareae Maieſtatis, depoſitis armis, et flexis genibus, comparere ac inueſtituram accipere tenentur.

Exempla ſolennis iſtiusmodi inueſtiturae Archiducum Auſtriae.

Caeterum ſolennes eiusmodi Inueſtiturae Auſtriacae ceremonias, quibus olim Dux Albertus I. a Patre Rudolpho Habſpurgico fuit infeudatus, aeri inciſas repraeſentat Illuſtr. Comes *de Fugger* im Ehren-Spiegel des Hauſes Oeſterreichs. Simili pompa etiam Ferdinandus I. Anno 1530. a Carolo V. Walpurgi in Auſtriacorum territorio inueſtitus eſt, quem actum in tabula lignea egregia pictura expreſſum Norimbergae auf der Veſtung mihimet inter memorabilia alia quondam inſpicere licuit. vid. apud *Goldaſt.* in den Reichs-Handlungen *p. 126. ſeqq.* et *Bechmann. in Comment. ad A. B. Exercit. III. ad Tit. IV.*

III.

Cur hodie rara?

Interea autem, ex quo tempore Dignitas Caeſarea ita conſtanter in familia Auſtriaca continuata eſt, vt plerumque fere idem Imperator ac Archidux fuerit, eiusmodi actus inueſtiturae ſolennis eo rarius contigit; ſed Imperatores a ſemetipſis ſimulatque Imperio feuda ſua recognoſcere conſueuerunt. vid. *Nitſch. ad Capitulat. Ioſeph. art. XXX. p. 517. et Caroli VI. art. X.* vbi quidem

ſingu-

ſingulare videtur, Imperatorem, cuius proprium eſt officium; dare feuda, eadem a ſe ipſo accipere debere; indeque apud Iurispublici Doctores quaeſtio vertitur: *an Imperator Romanus a ſemetipſo feuda recognoſcere poſſit?* Quam affirm. *Limn. Lib. I. I. P. C. 10. n. 50.* et *Tom. I. Addit. ibid.* Sed negat *Schultz. in Vol. I. Coll. I. P. Exerc. 2. th. 5. Lit. B* Et ſane, vti Imperator quidem qua talis a ſemetipſo feudum recognoſcere nequit, quod euincit *Schultz. d. l.* ita, quin tamen illud alio intuitu, ſcil. vt Archidux Auſtriae, vel Rex Bohemiae, facere poſſit, nullum dubium eſt; cum, qualitates et reſpectus diuerſos in vnum hominem cadere, non ſit impoſſibile, id quod exempla paſſim comprobant. Imo, quo in collatione feudi euidentior ſit perſonarum diſtinctio, dantis ſcil. et accipientis, Imperator etiam ipſe, qua talis, inueſtituram quidem conferre, per Procuratorem autem ſuum, Archiducalem qualitatem repraeſentantem, feudum ſuſcipere et fidelitatis Iuramentum, ſi placuerit, praeſtare poteſt; per verba dictarum Capitulationum: **Wollen wir dieſelbe empfangen laſſen ꝛc.** Quod ſi tamen id ipſum minus congruum videatur, ex iisdem textibus pateſcit, liberum etiam Imperatori relinqui, vtrum libentius ad literas reuerſales et cautiones in ſecuritatem Imperii Electoribus exhibendas velit obligari. vid. rurſus *Limn. ad Capit. Ferd. IV. art. 30. p. m. 849.* et *Nitſch. l. c.* add. *Hennig. ad Cap. Ioſeph. art XXX. p. 284.* et *Wegelin. in Spicileg. ad Capit. Carol. VI. art. 10.*

An Imperator idemque ſimul Archidux a ſemetipſo feuda recognoſcere queat?

IV.

Porro, vtut alii quilibet Imperii Principes, tam Eccleſiaſtici, quam Seculares, pro inueſtituris feudorum Imperii Officiariis et Cancellariae Taxae nomine certam

Taxam nullam praeſtare tenentur pro inueſtitura, quemadmo-

Digitized by Google

dum nec vlla alia ſeruitia.

tam quandam pecuniae ſummam praeſtare teneantur, quod vulgo dicitur: Den Lehen-Brieff aus der Reichs-Hoff-Cantzley zu löſen, und die gewöhnliche Lehen-Tax zu erlegen, auch die gewöhnliche Verehrungen auszurichten. Archiduces tamen ad ſimilitudinem Electorum, qui eiusmodi ſportulas etiam non praeſtant, per *A. B. Cap. 29. §. 2.* Cancellariae Imperii ex Priuilegio Frider. II. nihil ſoluunt pro literis inueſtiturae, verba haec ſunt: *Volumus etiam, vt dilectus noſter Dux Auſtriae omnia ſua feudalia, ſiue Iura, liberaliter ſuſcipiat, datione ſine omni.* conf. *Dn. Wagenſeil de Official. Imp. Cap. 19. et Authorem* der jetzt regierenden Welt Schau-Bühne, *pag. 163.* quemadmodum pariter alias ad nulla ſeruitia in recognitionem feudorum ſuorum Domino directo

Vnde reuera Feuda Auſtriacorum ad franca referenda.

praeſtanda, excepto eo, de quo iam ſupra in Cap. IV. §. I. dictum, obligati ſunt, vt ſic de reliquo iure referri poſſint inter feuda franca ſeu libera, quae nihilo ſecius etiam de Iure communi tutelam et praeſidium a Domino directo ſemper expoſcunt. conf. *Grotius de I. B. et P. L. I. C. 3. §. 23.* add. *Stryck. Exam. Iur. Feud. Cap. 2. qu. 24.* It. *Eyben Elect. Iur. Feud. Cap. 3. §. 9. et Cap. 11. n. 2.*

V.

Imperium nullum habere poteſt in Auſtria feudum.

Vlterius Auſtriaci circa feudalia praecipuum hoc habent, quod, licet de iure communi in alterius Principatus territorio Imperium vaſallos habere poſſit, ſecus tamen in Auſtriae Ducatu, vbi Imperio Romano feudum ſiue patrimonium habere interdictum eſt: Verba Priuilegii Fridericiani ſunt: *Imperium nullum feudum habere debet Auſtriae in ducatu.* Quod omnino haud incongrue idem videtur, ac Auſtriacum territorium perfectum eſſe, nullis Imperii feudis immediatis

inter-

Google

interceptum; imo, cum Caeſares in aliis Germaniae Prouinciis quandoque *Dominium* aliquod habeant, Palatinatus verbo appellatum, id nefas eſſe in Auſtriacis, iudicio *Dn. Ludw. in German. Princip. L. I. C. 4. n. 38. Lit. Y.*

VI.

Auſtriae Vaſalli nequeunt ſubinfeudare ſine conſenſu Archiducis, nec quisquam alius bona in Auſtria poſſidens, illa alteri in feudum dare poteſt, niſi antea eadem ab Archiduce in feudum receperit.

Sic, etſi pariter ſecundum commune Ius feudale neque Vaſallis, neque Subuaſallis prohibitum ſit, quin tertium aliquem, imo alter alterum in infinitum, ſine conſenſu quoque Domini directi reinfeudare, ſiue etiam aliis feuda locare valeant. vid. *Maurit. Dec. 13. Poſ. 6. Bitſch. ad 2. Feud. 26. §. benefic. Wilhelm. Anton. in Notis ad Kobl de Subfeudis C. I. Lit. D.* Tamen Auſtriae Vaſallus vel Subuaſallus feudum nec ſubinfeudare nec elocare poteſt alii, niſi, cum Archiducis conſenſu, ſub poena feloniae. Atque ita nemo etiam, vtut liberam rerum ſuarum diſpoſitionem habens, quaecunque bona ſua in Auſtria ſita alii in feudum dandi poteſtatem habet, niſi eadem prius feudalia faciat, et ab Archiduce recognoſcat. vid. *Priuil. Frid. I. §. Si vero Princeps aliquis vel alterius Status perſona nobilis vel ignobilis etc.* Excipiuntur tamen duntaxat in hoc caſu Principes Eccleſiaſtici et Monaſteria, fauore Religionis. conf. *Diplom. Caroli V.* cum Confirm. Rudolph. II. *ap. Londorp. Tom. IV. L. III. p. 631.*

VII.

Ad bona feudalia quaenam in Auſtria referantur, et, quae differentia hic inter Auſtriacos aliosque Do-

Huic proxime ſubnotandum, quod in Auſtriae regionibus iuxta idem Priuilegium Friderici I. Iudicia, Bannum ſiluestrium et ferinarum, piſcinae et nemora omnia feudalia credantur. Equidem venatio, praeſertim maior, item Iudicia tam ciuilia, quam criminalia, imo et foreſtalia hodie communiter quoque Iura Principis

Digitized by Google

minos Territoriales.

cipis Territorialis ſunt Reſeruata, adeo, vt, ordinibus Prouincialibus delata, vel etiam aliqua priuatis conceſſa eſſe, nunquam praeſumatur, ſed tanquam facti quid probari debeat; verum, cum nihilominus tamen ipſa eiusmodi probatio contra alios quidem Principes ac Dominos Territoriales variis ex titulis de iure fieri queat, et locum inueniat; inde in eo ſaltim illos inter ac Auſtriae Duces haud parum differentiae atque Praerogatiuae intercedit, quod ratione Horum non tam ex vniuerſali Superioritatis Territorialis iure, quam potiſſimum Priuilegio noſtro ſpeciali, vtpote iure territoriali adhuc longe antiquiori, ſemper adeo valida praeſumptio quoad omnia Bona et Regalia in ditionibus Auſtriacis pro perpetuo nexu ac dependentia feudali militet, vt plane probatio in contrarium, ſcil. pro libertate allodiali, omnis excludenda, nulloque modo admittenda videatur, tanto magis, quod omnis vtilitas ex terris Auſtriacis ad Ducem redire debeat, der Fürſt ſoll auch alle Nutzung des Landes haben etc. conf. Carol. V. *apud Lunig. et Munſt. l. all.*

VIII.

In Auſtria non niſi vaſalli Landſaſſii et ſubditi praeſumuntur. Lites cum Marchionibus Brandenburgicis de feudis in Auſtria ſitis.

Vnde etiam praeterea eſt, quod Auſtriaci in terris ſuis non niſi Vaſallos, Landſaſſios, Clientes aut ſubditos et bona mediata, oneribus publicis ac Iurisdictioni Territoriali obnoxia, praeſumant. Hinc contentiones Auſtriacorum cum Brandenburgicis in Franconia Marchionibus de feudis in Auſtria ſitis, partim ſuper recognitione et renouatione eorundem, partim etiam Superioritate, prouocantium ad priuilegia ſua: daß kein Reichs-Stand einig Lehen in dem Ertz-Hertzogthum Oeſterreich haben ſolle, er recognoſcire dieſelbe dann von dem Ertz-Hertzog von Oeſterreich. conf. ſupra §. §.

V. et

Digitized by Google

V. et VI. vid. *Hieron Treutleri Conſultationem peculiarem quam ſcripſit in cauſa feudali Brandenburgenſium*, pro **Oeſterreichiſche Affter-Lehen.** *Conſil. 118. Tom. II. p. 513. 514.*

Item cum Ordine Iohannitico.

Inde quoque cum Sacrae Militiae Ordinis Iohannitici ſociis iam diuturnae Auſtriacorum lites: *num praedia illius inter ordines prouinciales* Landſaſſica *ſint; an vero Landſaſſiatu exemta, pareant ſacrae tantum militiae Collegio?* Primum Auſtriaci defendunt, proptereaque dictae Sacrae Militiae Praefectos (**die Land-Commendor**) ad conuentus prouinciales vocant, coguntque illos ad tributa, non obſtantibus iis, quae quidem ſocii ſacrae Iohanni militiae, alterum tueri volentes, in contrarium afferunt, in ſcripto cui titulus: *Breuis ac ſolida deductio Iuris et facti, ſuper Indultis, Priuilegiis, Immunitatibus, ac reliquo Iure Ordinis Sancti Iohannis Hieroſolymitani, cum ſubnexa concluſione, quod ſuperioritas territorialis in Heidersheimiana ditione ſupremo Priori, neutiquam Domui Auſtriacae competat, edit. 1652. in 4.* nec magis obſunt ea, quae ad ordinis etiam cauſam prolixe reſpondit *Caſpar. Klockius Tom. III. Conſil. I.* Rationes namque Auſtriaci Regiminis ſane multo hactenus videntur fortiores, quas vna cum reſponſionibus ad argumenta Magni Prioris oppoſita adducit *Dn. Ludwig in Germ. Princip. L. I. C. 3. p. m. 303.*

Nec non cum Epiſcopo Bambergenſi aliisue.

Sic eadem contentionis ſerra trahitur imprimis cum Epiſcopo Bambergenſi. Hic enim in Carinthiae Ducatu aliquot oppida, pagos, villas, praediaque poſſidet, quae exempta vult de Carinthiae Landſaſſiatu, ſed e contra Auſtriae Archiduces tamen illa omnia in Matricula et Claſſe retinere ordinum Prouincialium, Praefectum Bambergenſem (**den Bitzdom zu Wolffsberg**) ad

Digitized by Google

ad praeſtandum homagium, frequentandos conuentus prouinciales, tributaque ferenda adſtringere ſtudent. Idque ad ſimilitudinem Archiepiſcopi Salisburgenſis, Epiſcoporum Brixienſis, Gurcenſis, Laibacenſis, Secouienſis, Friſingenſis, Viennenſis, quorum nullus Landſaſſiatum Auſtriacis diſputare poſſit nec ſoleat, intuitu eius generis praediorum. vid. *Ioh. Burc. Rosler Tract. de Protectoriis Caeſareis, Cap. X. ſ. b. p. 115.* et omnino *ſpecies facti*, die exemption der Bambergiſchen Lehen, von dem Hertzogthum Cärndten betreffende An. 1666. in 4to. Item die kurtze doch wahrhaffte in Iure et facto wohlbegründete Gegen-deduction der Oeſterreichiſchen Iurium wider die von dem Stifft-Bamberg auf dem Reichs-Tag in Druck gegebene Informations-Schrifft, *ſpeciem facti* die praetendirende Exemption von der Lands-Fürſtlichen Iurisdiction und ſonſten betreffend: edit. Viennae 1668. in fol. ex quibus tam argumenta praetenſae immunitatis Bambergenſium, quam Auſtriacorum reſponſa luculenter videre licet. Sed, ſicut *haud noſtrum eſt, tantas componere lites;* ita, vtcunque ea ſint, id interea ſaltem quaſi per tranſennam obſeruaſſe ſufficiat, diſceptationem iſtam cum Epiſcopo Bambergenſi transactione, An. 1682. inita, certo modo velut ſopitam eſſe, docente *Imhoff. Notit. Procer. Imp. L. III. C. 3. §. 6.* et *Hennig. ad Cap. Ioſ. art. 31. p. 281.* Imo iam diu antea prioribus temporibus et inde ab anno 1535. res haec prouiſionaliter per conuentionem compoſita fuit, id quod clare patet: Aus dem Conuention- oder Anſtands-Receſs zwiſchen dem Hochlöbl. Hauſe Oeſterreich, als Hertzogen im Fürſtenthum Cärndten und dem Stifft Bamberg, wegen deſſelben Herrſchafft darinnen, auf hundert und ein Jahr aufgericht. d. 27 Ian. 1535. apud

Conuentiones hac ſuper re prouiſionaliter ſaltem ad certum tempus initae.

Lünig.

Lünig. im Reichs-*Archiu. P. S.* Erſter Abth. *N. XIV. pag. 33.* et imprimis, *35.* add. *Codex. Auſtr. P. II. p. 102.*

Quam conuentionem poſtea Ferdinandus Archidux regens, ibidem alios centum et vnum annos vſque confirmando, absque tamen praeiudicio, et cum ſpeciali reſeruatione Iuris vtrique parti competentis, prolongauit, prout hoc ipſum monſtrant Literae reuerſales des Biſchoffs zu Bamberg, und Dom-Capituls daſelbſt, an Ertz-Hertzog Ferdinanden zu Oeſterreich, den obbemeldten Conuention- oder Anſtands-Receſs, ſo beſagter maßen prolongiret worden, betreffend, de Anno 1611. ap. eund. *Lünig. l. c. N. XVIII. p. 48.*

Earundem prolongationes, absque tamen praeiudicio iuris vtrique parti competentis

IX.

Caeterum vero hoc loco non importune forſan inter inſigniora territorii Iura etiam referre licebit illud, quo nonnulli, vna cum omnibus ſuis bonis ſingulari quodam reſpectu ad Auſtriam pertinent, quod ſcil. conſiſtit in nexu iſto clientelari atque illuſtri Iure Aduocatiae, der Kaſten-Vogtey, cuius vigore Archiduces *perpetui*, in ſuis terris Epiſcopatuum, et Monaſteriorum cuiuscunque dignitatis ac Ordinis ſunt *Aduocati.* Nempe ſcimus, quod olim Archiepiſcopos aliosque Clericos, ipſe elegerit Imperator, et ab eo etiam bona Eccleſiae data ſint; Patronus itaque ipſe ſummus ac pariter Dominus, qui conſtituebat Epiſcopum, merito et huic adiungebat Aduocatum, vt ſciret, quem bonorum ſuorum adminiſtratorem, quemque Imperii Ciuem haberet. Eiusmodi autem Aduocatorum munus erat, vt Eccleſiarum bona contra vim

De iure Aduocatiae Archiducum in ſuis terris, reſpectu omnium Epiſcopatuum, Monaſteriorum, et quorumuis Ordinum.

Quale iſtud olim fuerit.

Digitized by Google

et iniurias non ſolum defenderent, ſed et, vt iudiciis praeeſſent, rerum ad victum pertinentium curam haberent, reditus omnes in rationes ſuas referrent, reſiduum vero Imperatoris vſibus tranſcriberent, et denique Epiſcoporum defunctorum bona mobilia in fiſcum redigerent. vid. *Conringiana Epiſtolica p.304.* item *Conſtitutionem Ottonis M. Imp. ap. Ioh. Palatium in Aquila Saxonica. Lib. XII. C. II, n. X. p. 60. ſeqq. et Priuilegia Eccleſiae Magdeburgenſi data, ibid. p. 62. et 126. item Priuilegium Gandersheimenſe, p. 73. et Priuil. Mindenſe, p. 105. eiusque Conſtitutiones, p. 131. art. VII. Ottonis II. Lib. XIII. p. 181. et Ottonis III. Lib. XIV. Cap. II. art. 2. p. 209.* conf. *Alex. Iruinus, in Diaſcepſi de Iure Regni, Cap. VI. VII. ſeqq. et imprimis Cap. XV. et XVI.* Licet vero hi Aduocati poſt tempora Ottonis IV. Imperatoris, in pluribus Imperii Germanici locis deſierint, adeo, vt ipſi tandem Epiſcopi pedetentim plenam adminiſtrationem bonorum ac iudiciorum ciuilium habere coeperint, ceu late id docet *Mart. Mayerus de Aduocatia armata, qu. 40. ſeqq. Henr. Meibomius in notis ad Widkindi Corbeienſis Annales, p. 116. Ioh. Stumpff. in Chron. L. 5. C. 5.* Tamen alicubi adhuc nonnulli iſtiusmodi Protectores in hunc vsque diem permanſere, qui Ius Aduocatiae (die Kaſten-Vogtey) cum aliqua etiam Iurisdictione et oeconomicae adminiſtrationis inſpectione interdum coniunctum habent. v. *Beſold Diſſ. de Foeder. Iure Cap. 5. n. 7. p. 57. Struu. Syntagm. I. P. Diſſert. XVIII. §. 24. 25.*

An et quodnam adhuc dum hodie.

Atque ita talis Aduocatus et Iudex haereditarius etiam adhucdum hodie eſt Archidux Auſtriae, intuitu Epiſcopatus Salisburgenſis et Paſſauienſis, item Ratisponenſis, Brixienſis, Tridentini. *Teſtibus Lazio, Lib.*

XII.

XII. C.9. Sect. 6. Comment. Reip. Rom. Magero, qui Diploma eam in rem, an. 1058. ab Henrico IV. conceptum exhibet. Tract. de Orig. Aduoc. Cap. 5. n. 373. p. 149. 150. add. *Wurſbain in Relat. Hiſt. p. 22. 23.* Imo omnium aliorum viuentium in Auſtriaco Territorio Epiſcoporum, Abbatum, Praepoſitorum, et qui generis eiusdem vid. *Magerus l.c. cap. 9. n. 650. p. 398.* add. *Knichen de Sax. non prouoc. iure c. 5. n. 497. Brunnem. Iurisprud. Publ. Diſſ. VII. §. 17. Dn. de Zech,* im Europäiſchen Herold, *p. 1528.* add. *Receſſ. Imp. de A. 1548. §. 69. et Priuil. Carol. V. apud Londorp. P. IV. p. 631. §.* Die Fürſten von Oeſterreich ſollen auch haben alle Vogtey und Vogtrecht in Bißthum, Abbteyen ꝛc. Cuius Priuilegii inſigne pretium ac praerogatiua maxime in eo conſiſtere videtur, quod ſaltem hac ratione, Eccleſiarum antiſtites vel Auſtriacis inimicos Aduocatos eligere, vel, dimiſſis plane Aduocatis, iuſto elatiores, ſicuti forſan in aliorum Principum terris, ſe gerere minus valeant; ſpectant huc *Literae Epiſcopi Paſſauienſis ad Leopoldum Imp. huiusque ad easdem reſponſio; nec non Reſolutiones, item Transactiones de Electione et Inſtallatione, Viſitatione, Reformatione et Depoſitione Praelatorum, Executionibus in bonis Monaſteriorum poſt mortem Praelatorum, vt et Praeſentatione, Viſitatione et Correctione Parochorum etc. in Cod. Auſtr. Part. II. p. 124. ſeqq.* item quae *habentur p. 401. ſub voc.* Vogtherrn, Vogteyen ꝛc. *ſimiliter in P. I. p. 288. de Eccleſiarum et Conuentuum immunitate circa receptionem Maleficorum.* ***Inſigne huius Priuilegii pretium in quo conſiſtat.***

X.

Hisque igitur omnibus tandem generaliter ſubnotamus, nihil in Auſtriacis terris ita liberum eſſe, quin

Digitized by Google

Auſtriaci Comites et Barones capitalem ſententiam exequi non poſſunt, ſine Archiducalis Senatus ſupremi confirmatione.

Ius Archiducis exigendi Collectas a Clero in terris ſuis haereditariis.

ab Archiduce ſuo modo dependeat, adeo, vt hinc etiam Comites et Barones, quibus ibi Ius meri Imperii gladiique poteſtas conceſſa eſt, capitalem ſententiam, de morte naturali potiſſimum publicare, et executioni mandare non poſſint, niſi prius a Supremo Archiducali Senatu, quem **die Oeſterreichiſche Regierung** appellant, confirmata et ſuperſcripta ſit. Teſte *Betſio Tr. de Statut. Fam. Illuſtr. Cap. II. §. 4.* Plane, vt et Perſonis quoque Eccleſiaſticis per indultum generale Nicolai V. Pontificis, contributiones et ſubſidia, pro incumbentibus neceſſitatibus in terris ſuis, iuxta conſuetudinem antiquam, imponere poſſint, etiam Dioeceſanorum ad id non accedente conſenſu. v. *Cod. Auſtr. p. 251. voc. Contribution* **der Geiſtlichkeit in denen Kayſerl. Erblanden.**

XI.

Archiduces a quibuscunque Imperii Membris bona, ſiue allodialia, ſiue feudalia emere, vel alio quocunque titulo ſibi comparare poſſunt.

Inſuper vero Praerogatiua Archiducum haud exigua, ſi non omnium maxima, illa eſt, quod a quibuscunque Imperii Membris, Bona quaelibet, ſiue allodialia, ſiue feudalia emere, vel alio quocunque ſibi acquirere titulo poſſint, etiam irrequiſito Imperatoris, qua Feudi Domini, conſenſu, licet caeteroquin ex communibus Iuris feudalis regulis iſtiusmodi alienatio non ſubſiſtat, ſed, eodem quoque pretio non refuſo, reuocari queat. Et haec Praeeminentia ipſis ſingulari gratia iam tributa eſt ab Imperatore Henrico V. An. 1228. v. *Diploma ap. Lünig.* **R. A.** *P. S. Cont. I p 6.* item *Cod. Auſtr. P. II. p. 98. cum Confirmatione Sigismundi. A. 1418. p. 27.* adeoque iam diu ante, quam poſtea quidem ſimile quoque ius omnes et ſinguli Electores ab Imperatore Carolo

rolo

rolo IV. per A. B. obtinuere. vid. *Excell. Dn. Praeſes in Diſp. d. Elector. Iurib. Praerog. p. 10.*

Qu. an etiam Feuda Imperii aperta ipſis a ſolo Imperatore poſſint conferri, vel expectantia ſuper ea concedi?

Rationes dubitandi.

Quaeſtionem autem hic non parui forſan momenti quis mouere poſſet: *numne intuitu ac virtute huius Priuilegii ipſe Imperator ſolus Feuda, aperta vel alia bona Imperii vacantia, titulo quouis alias legitimo, in Archiducem transferre, vel ſaltem interea expectantias eidem deſuper concedere valeat?* Id quod cur affirmare ambigamus, cauſam ſatis validam atque iuſtam inuenire nullibi hactenus licuit. Equidem hic prima fronte inter caetera praecipue quam fortiſſime repugnare videntur *Capitulat. Caeſareae Ferdinandi IV. et Leopoldi art. 30.* iuncta *Ioſephina art. 29.* et *Carolina* hodierna, ibi: Wenn auch Lehen dem Reich, und Uns, bey Zeit Unſerer Regierung durch Todesfall oder verwürcken eröffnet und lediglich heimfallen werden, ſo etwas merckliches ertragen, als Fürſtenthümer, Grafſchafften, Städte, und dergleichen, die ſollen und wollen Wir die Chur-Fürſtenthümer ohne des Churfürſtlichen Collegii, die Fürſtenthümer, Graf- und Herrſchafften, Städte und dergleichen aber, ohne der Churfürſtlicher, Fürſtlicher, auch (wenn es nehmlich eine Reichs-Stadt betreffen thut) Städtiſcher Collegiorum NB. Vorwiſſen und Conſens, ferners niemanden leihen, auch NB. niemanden einige Expectantz oder Anwartung darauf geben, ſondern zu Unterhaltung des Reichs, Unſer, und Unſer nachkommender König und Kayſer, behalten, einziehen und incorporiren.

Reſponſio.

Verum ad haec Reſp. Sicuti huic reſtrictioni facultatis Caeſareae, reſpectu apertorum feudorum Imperii,

rii, ſaltem Maiorum ſeu Regalium, aliis ſine praeuio Electorali conſenſu iterum non concedendorum primam anſam dediſſe videtur Capitulatio Caroli V. pro fundamento iſthanc Status habens rationem, vt hac via auctis pedetentim Imperii reditibus, alias ſat exiguis, ſi aliquando forte placuerit Electoribus, alium quempiam Principem, extra Potentiſſimam Domum Auſtr. ad faſtigium ſummae in Imperio Dignitatis euehere, huic non deſit, vnde ſplendorem et dignitatem ſuam commode tueri poſſit: Ita quidem hodie diſpoſitiones Capitulationum allegatarum, quoad quosuis alios Imperii Ciues vel Status locum habere omnino poſſunt ac debent; vid. *Kemmerich I. P. L. V. C. 9. §. 39. ſeqq. Conring: ad Lampad. P. III. C. 5. §. 26. Itter de Feud. Imp. C. VII. §. 6. ſeqq. Maſcou. de Expectat. in Feud. Imp.* ſed vero, idem ratione Archiducum Auſtriae inde ſtatuendum eſſe, non exiſtimamus.

Cum enim extra controuerſiam poſitum habeamus, Imperatoribus olim de bonis Imperii feudalibus, praeſertim vacuefactis, liberam diſponendi facultatem competiiſſe, vti abunde teſtantur exempla, et quidem praeter innumera alia ipſa Auſtria, quam *Rudolphus I.* ad Imperium deuolutam *Alberto* filio ſuo conceſſit, vnde Archiducum Auſtriae origo, vid. *Coler in Tract. de Iur. Imp. Germ. concl. 23.* hinc tanto facilius tum temporis Imperatoribus fuit, contra communia Iura feudalia eiusmodi priuilegia iuſtis ex cauſis alicui concedere, vi quorum capax eſſet vel alienandi, vel acquirendi, vel etiam expectatiuas nanciſcendi in quaelibet Imperii bona, adeo, vt neque ratione alienationis, neque adquiſitionis, vlteriori Caeſaris, vtpote Domini directi, conſenſu

ſenſu

Digitized by Google

ſenſu opus eſſet; cuiusmodi conceſſio adquirendi igitur cum iam olim, ac diu ante Capitulationes Caeſareas, Archiducibus illimitate ſit facta, dubitandum eſt, quin iſtius ſaltem intuitu etiamnum hodie ipſe quoque Imperator, bona quaeuis Imperii vacantia, abſque ſpeciali Electorum praeſcitu, Auſtriacis denuo conferre queat; non obſtantibus recentioribus Imperii conſtitutionibus, quibus demum ex poſt facto huiusmodi libera alienandi ſeu amplius conferendi Bona Imperii vacuefacta poteſtas fuit reſtricta, quippe quae eatenus Imperatorem obligare ſimpliciter non poſſunt, quandoquidem illa reſtrictio qualiscunque intuitu Imperatoris introducta facultatem tamen adquirendi iure ſingulari eoque multo antiquiori fundatam, in praeiudicium Auſtriacorum, inuitis his, neque iuri ſuo clariſſime renunciantibus tollere, vel ſaltem quoad maximam partem inanem reddere neutiquam potuit. Haec itaque vt potius integra ſeruetur, atque ad minimum ex qualitate et conditione Archiducis, qua perſonae priuilegiatae, pleniſſimum effectum ſortiatur, neceſſario dicendum erit, adhuc tamen hactenus aliquid praecipui remanſiſſe Imperatoribus, et textus Capitulationum Impp. praeallegatos ita eſſe capiendos, vt reſpectu Auſtriacorum quam minime Imperatori manus ligent; ne ſimul hoc modo Priuilegiis ac Iuribus Sereniſſimae Domus Auſtriacae per indirectum ſaltem derogent vel obſint; ad quod etiam ipſae aliaeque Imperii Leges reſpiciunt, vbique fere hanc expreſſam clauſulam annexam habentes: *Saluo iure cuiuscunque.* Hocque eo magis, quod etiam officium Imperatoris proprium ſit, omnium iura ac priuilegia tueri, et vnumquemque Imperii Statum in ea conditione, in qua

fuit

Digitized by Google

fuit a ſuo principio ac origine, conſeruare, ad quod non minus in Capitulatione ſua expreſſe adſtringitur. vid. *Capit. nouiſſ. Art. I. per tot.* Quin imo ipſae denique Capitulationes Caeſ. a generali diſpoſitione ſua, hoc caſu etiam in ſpecie, quoad Sereniſſimam Domum Auſtriacam, exceptionem diſerte faciunt, quando eodem contextu ſtatim haec immediate ſubſequuntur verba: **Doch Uns von wegen unſerer Erb-Landen und ſonſten männiglich, an ſeinen Rechten und Freyheiten unſchädlich.** vid. *Capit. Nouiſſ. art. 11.* add. *Nitſch. ad Capit. Ioſeph. art. 29.*

Obiectio ſecunda. Sed et *ſecundo* obiici poſſet, quod Archidux qua Imperator futurus, itidem in *Capit.* ſua *Artic. XX.* Electoribus claris verbis promittat, quod bona in bannum declaratorum ſibi ſuaeque familiae non appropriare vel conferre, ſed ea omnia Imperio relinquere velit ac debeat. Verum infirmiori fulcro argumentum hoc ſuſtinetur, ſiquidem, ex ſingulari plane cauſa intuitu bannitorum ita ſtatutum eſſe, apparet. Nimirum, quemadmodum eiusmodi delinquentes toti Reip. ex delicto ad poenam obligati ſunt, ita quoque aequum viſum eſt, vt eorum bona in nullius, niſi ipſius Imperii vniuerſi, commodum cedant, ante omnia vero laeſo ciuitatis membro particulariter ex illis debita praeſtetur ſatisfactio; a quo tamen caſu ſpeciali ad quasuis cauſas conſecutionis filum ducere vano conatu tentabis.

Obiectio tertia. Quod ſi autem *tertio* aliquis non ſine ſpecie forſan vrgere vellet, hoc modo, ſi Imperatori licitum eſſet, Principibus Auſtriae, praetextu priuilegii ſui, bona

na

na Imperii vacantia pro lubitu conferre, Caeſares Auſtriacos ſucceſſu temporis totum Imperium ad ſe trahere poſſe; quod vero ne fiat, publicae rei praeſentis quam maxime intereſſe. Aſt reſponderi poteſt primo, *Reſponſi.* quod, praeterquam, quod vacationes bonorum Imperii, praeſertim illorum, quae alicuius ſunt momenti, admodum raro hodie contingant, et inde haud multum timendum ſit, praetereaque iſtud tantum metui poſſet in Imperatoribus Auſtriacis, non etiam aliis, certum ſit, ex ratione intereſſe etiamſi publici qualiscunque, non ſtatim alterius iura ita ſimpliciter metienda eſſe, vel prorſus interuertenda. Inſuper Electores et totum Imperium, dum Auſtriacos ad Caeſareum culmen euexerunt, probe ſcientes, ipſos adeo lautis gaudere priuilegiis, merito eo magis iuri ſuo circa conſenſum in alienationem ſeu collationem nouam, vtut alias adhibendum, ſi Archiduces ſint acquirentes, ipſo facto renunciare voluiſſe, ſimulque tacite ſaltem conueniſſe in hanc conditionem cenſentur, ne ſcilicet propterea Archiducibus de ſuis Iuribus et Priuilegiis legitime quaeſitis quidquam decedat, quodque nihilominus iisdem frui poſſint et velint, in maiorem veluti ſubleuationem ſiue compenſationem oneris, quod ex adminiſtratione Reip. ſentiunt; quo minus ſane e contrario ex parte Auſtriacorum rationabiliter praeſumi poteſt, Ipſos huic Iuri ſuo pro capeſſendo oneroſo Imperii Germanici ſceptro in totum ita renunciare vnquam in animo habuiſſe, vt eo plane non, et ne quidem quoad mediocria duntaxat bona vel feuda Imperii aperta vti velint. Accedit porro, quod ſic ex parte Electorum et Statuum reliquorum, Auguſtiſſimae Domui Auſtriacae, cui tamen vniuerſa Reſp. Germ. propter

Digitized by Google

bene merita in ſignum gratitudinis potius omnia debet, viciſſim peſſima, magisque adhuc omni penitus emolumenti ex Regno percipiendi ſpe deſtituta inferretur conditio; cuius iniquitas vel exinde tanto euidentius clareſcit, quod, quamdiu emtionis vel donationis vel alterius alicuius obligationis titulo adquirendi occaſiones ſeu cauſae Auſtriacis deficerent (quales quidem hodie pro praeſentis Status rerum Germanicarum ratione, forſan nunquam non deficient, aut minimum tam rariſſime quam difficillime contingent,) horum Priuilegium ſane, contra omnem primi concedentis intentionem, atque acquirentis meritum, pene fruſtraneum atque inefficax euaderet, ſi nec Ipſi quidem Imperatori, occaſione eiusmodi caſus tandem obuenientis de rebus Imperii libera hodienum in fauorem illorum diſponendi poteſtas quadantenus ſaltem ſupereſſet. Interim ipſum huius poteſtatis vſum vtique praeter omnem modum et vlterius extendendum haud putamus, quam quidem ſalutis publicae ratio, quin imo ipſe ingenitus omnibus Auſtriacis Imperatoribus aequitatis fert amor, nunquam ſatis adhuc laudatus, qui et ſponte hoc Iure ſuo tanta hactenus cum moderatione ſemper fuerunt vſi, vt bona Imperii quouis modo vacantia potius mox aliis iterum gratioſiſſime in beneficium concedere, quam ſibimetipſis retinere, vel ſuae familiae attribuere, plerumque conſueuerint. conf. *Crüger de Fulgent. Elect. Iur. Part. Spec. M. 2. Diſc. 10. §. 3.*

X

Ius Expectatiuae Auſtriacorum in Feu-

Ratione interim Iuris acquirendi Imperii bona, etiam peculiari praeferentiae locum facit illud priuilegium

da Sueuiae aperta.

gium, ex quo forte Auſtriaci certiores, dummodo velint, atque vberiores fructus reportare poterunt, et conſiſtit in *Expectatiua*, quam habent, ſeu ſpe ſuccedendi in feuda in Tractu Sueuiae aperta; largitore Imperatore Wenceslao, vid. Diploma ap. *Fugger. L. III. C 8. p. 359.* ibi: **Die Lehen Güther, welche in denen Schwäbiſchen Land-Vogteyen Uns oder dem Reich ledig würden, die haben Wir ihme und ſeinen Erben ewiglich verliehen.** In quo ipſo Diplomate additur quoque Ius oppignorata Imperii, **die Reichs-Pfandſchafften**, in Sueuiae Superioris et Inferioris Landuogtia reluendi, quod tamen alias regulariter ſolius Imperatoris et vniuerſorum Imperii Statuum eſt. conf. *Coccëius in I. P. P. C. X. §. 12. p. 215.* et *Langgut ad eund. in Animaduerſ. p. 221.*

Iure gaudent reluendi oppignorata Imperii.

XIII.

Sua quoque feuda inuito S.R.I. poſſunt quolibet modo alienare.

Nec minor quoque ſingularitas haec eſt, quod, ſicuti Auſtriacos a quibuscunque et quaelibet Imperii bona feudalia abſque vllo impedimento comparare poſſe, modo antea demonſtratum eſt, ita et ipſe Archidux poſſit Auſtriam omniaque bona ſua libere alienare et in alios quoſuis transferre. Archiducibus enim Priuilegio pariter cautum eſt, quod feuda, quae ab Imperio tenent, *perpetua* eſſe debeant, ita, vt nulli Imperatorum ob quamcunque etiam cauſam, Legibus feudalibus alias comprobatam, ea ab illa familia tollere liceat, nec porro fiſco Imperiali vindicare, ſed, deficientibus quoque maſculis, Prouincias Illorum ad foeminas deuolui, aut, ſi ne foeminae quidem ſuperſint, vltimo poſſeſſori eas transferre aut alienare, in quoscun-

Auſtria eſt feudum perpetuum nullique caducitati obnoxium.

Digitized by Google

que licuerit, licere debet. vid. *infr. de hac materia Cap. VII. plura.*

XIV.

Quis Iudex Archiducum in cauſis feudalibus.

Poſtremo adhuc ratione feudalium inter praecipua referendum, quod, vtut indubitati Iuris Communis ſit, quod, ſi Dominus directus cum Vaſallo litem habet, in ea Pares Curiae pro Iudicibus habeantur. *L. 2. Feud. Tit. 16.* tamen ex Frid. I. Priuilegio inſtruamur, quod Dux Auſtriae coram Paribus Curiae reſpondere non teneatur, niſi id ſua propria et ſpontanea voluerit facere voluntate et libertate, ſed, ſi placuerit, poterit de Vaſallis ſeu Homologiis vnum eligere, coram quo ſecundum terminos praefixos parere poteſt, conuenienter modo dicti Priuilegii a Friderico II. conceſſi verbis, atque ſupra iam in *Capite V.* latius deductis.

CAPVT VII.

DE MODO ATQVE ORDINE SVCCEDENDI IN TERRIS AVSTRIACIS.

I.

In Archiducatu Auſtriae obtinet Ius Primogeniturae.

Ratione ſucceſſionis in *Archiducatu Auſtriae*, ante alia ſingularia ſtatim praenotandum eſt, quod, ſicuti iam pridem non duntaxat extra Imperium Romano-Germanicum; ſed et in hoc ipſo, multis admodum

dum

Digitized by Google

dum in locis, ne videlicet ſciſſis inter plures Principatibus, minutisque potentiae viribus, Familiarum Illuſtrium ſplendor deliquium patiatur, factaque inter Fratres Illuſtres, aequali Regnorum, Electoratuum, Ducatuum etc. diſtributione, accedente temporum ſerie, Duces tandem ſine Ducatu audiant. vid. Author. Wie ein Fürſtlich Hauß zu erhalten ꝛc. verb. daß ſie zuletzt nicht Grafen-Stand, ſondern auch nicht einmahl Freyherren- oder Edelleute-Stand führen können ꝛc. conf. *Springsfeld de Apanag. C. 10. n. 5. Mertz a Quirnheim in Speculo Succeſſionis vniuerſ. P. I. C. 3. Sect. 2. Dn. a Seckendorff.* im Teutſchen Fürſten-Staat, *P. 2. C. 3. n 2.* diſcordiarumque et bellorum ſemina Poſteris relinquantur, Ius, quod appellatur, Primogeniturae, vel diſpoſitione legis, vel vltimae voluntatis, vel per viam contractus, aut etiam ſpecialis alicuius Priuilegii reperire licet prudentiſſime introductum; ita pariter in terris Auſtriacis obtineat, vt illarum Principes eadem quoque Primogeniorum gaudeant praerogatiua, ex ſpeciali quoque Priuilegio Friderici I. quod ita habet: *Inter Duces Auſtriae qui Senior fuerit, Dominium habeat dictae terrae, ad cuius etiam Seniorem filium iure haereditario deducatur; ita tamen, quod ab eiusdem ſanguinis ſtipite non recedat.* Cuius vigore Imperatorem in Archiducatu Auſtriae non niſi Seniorem, ſiue, quod hic idem eſt, Primogenitum de familia, lineae maſculinae, ſucceſſorem eſſe voluiſſe, ſatis clarum eſt; tali quidem modo, vt illo mortuo, ei rurſus filius ipſius Senior, reliquorum fratrum ac ſororum iure ſuſpenſo, eisque apanagio, quod vocant, conſtituto, iure haereditario ſuccedere, et ſic porro in linea Primogeniti, quousque durat, ſemper remanere, atque adeo etiam Nepos ex

Digitized by Google

Primogenito defuncto, filio ſecundogenito, ſeu Patruo, iure transmiſſionis, ſiue repraeſentationis, vel, ſi mauis, etiam iure proprio, indubie omnino, ſaltim in hypotheſi noſtra, praeferri debeat, quicquid ICti alias vel generaliter ad explicationem *A. Bullae*, vel in ſpecie quoad ſucceſſionem in Electoratibus ex Iure Primogeniturae diſceptent. vid. *Nucl. I. P. Gieſſenſ. Diſſert. XVIII.* Quod ipſum Carolus V. in Confirmatione Priuilegiorum Auſtriacorum hoc ſenſu quoque repetiit atque declarauit, ibi: **Der Aelteſte unter den Hertzogen ſoll die Herrſchafft des Landes haben, und nach Jhme ſein ältiſter Sohn erblich; doch alſo, daß er von dem Stamm des Blutes nicht komm rc.** vid. *2. Feud. Tit. 11.* conf. *Caſp. Anton. Theſaurus in Quaeſt. Forenſ. L. I. qu. 35. et L. II. qu. 11. et 12, Mertz a Quirnheim d. Tr. P. I. C. 3. Sect. 2. Stryck. Diſſert. de Succeſſ. Deſcend. Feud. C. III. §. 19. Betſ. de Pact. Familiar. Illuſtr. C. X. §. 56.*

II.

Hinc diuiſioni regulariter locus non datur.

Dehinc ex eius Diplomatis verbis ſequentibus: *Nec Ducatus Auſtriae, vllo vnquam tempore diuiſionis alicuius recipiat ſectionem:* tanquam praecipuum etiam plenius patet, quod, vtut quidam adhuc hodie aequalem filiorum in feudis, etiam Regalibus, qualia habentur Ducatus, Comitatus, Marchia; *§. praeterea, 2. Feud. 55.* ſucceſſionem vrgeant, atque diuiduitatem inter Agnatos ordinarie locum habere, opinentur; vid. *Roſenthal de Feud. L. 9. c. 5. Dn. Ludwig. Comment. ad A. B. T. XXV. p. 430.* ratione tamen Auſtriae, et, quod huius terrarum Dominia, non niſi ſoli Seniori, ſiue Primogenito ex familia cedere debeant, nullaque adeo diuiſio ibi regulari-

ter

Digitized by Google

ter fieri poſſit, res eſt nobis extra omnem dubitationis aleam poſita. Illud autem nonnulli pridem diſputarunt: *num indiuiſibilitas illa de ſola Auſtria debeat intelligi; an vero etiam de huic annexis Prouinciis aliis:* Verum, quin hoc Ius absque limite Archidux Primogenitus etiam ad omnes Regiones atque Prouinciarum augmenta alia recte proferri poſſit, itidem vix ambigere nos ſinunt ipſiſſima Priuilegii Fridericiani verba: *Volumus etiam, vt, ſi diſtrictus et ditiones dicti Ducatus ampliati fuerint, etc.* quemadmodum nec interpretatio Caroli V. vid. *Diploma* apud *Cortrei. l. c. p. 52.* in quo quidem Archiduces prae ipſis quoque Principibus Electoralibus aliquid praecipui habere videntur, quatenus ſcilicet, iuxta verum *A. B.* ſenſum idem Ius indiuiduitatis tantum ad ipſos Principatus Electorum, nec etiam ad quaeuis alia territoria vel nouas acquiſitiones regulariter pertinet: ita, vt haec potius cuiusque Electoris regentis liberae ſemper hodienum inter filios ſuos diſpoſitioni ſubiaceant. vid. *Dn. Ludwig. ad A. B. XXV. p. 473.*

III.

Quando et cur nonnunquam diuiſio facta ſit.

Nec vero dictis obeſſe poteſt, quod Ius hoc Primogeniturae atque indiuiſibilitatis, neque ratione ipſius Auſtriae, neque reliquarum prouinciarum huic innexarum, omni tempore obſeruatum fuerit, ſed imo in plerisque non ſemel factae ſint partitiones. Quod equidem inprimis poſt Rudolphum A. 1365. ſine liberis mortuum, ex variis exemplis ſatis manifeſtum eſt, quae habentur ap. *Lairiz.* im neuangelegten Hiſtoriſch Genealogiſchen Palmwald I. Tafel von denen Oeſterreichiſchen Stamm-Gliedern Teutſcher Linie, *Cap. 3. §. 13. ſeqq.*

Digitized by Google

ſeqq. conf. *Dn. Ludwig in Germ. Princ. L. I. C. 1. §. 9. ſq* et *Struu. in Coll. MSC. de Dom. Auſtr. Part. Sp. C. II. §. 33.* Acciderunt namque eiusmodi diuiſiones, ex cauſis publicis, ſummeque neceſſariis, vel etiam euidenter vtilibus, ob quas alias quoque nulla vnquam tam ſtricta iuris Primogeniturae requiritur obſeruantia, quin inde quadantenus recedi, aut iſtud etiam plane aboleri queat. vid. *Betſ. de Pact. Famil. Illuſtr. C. X. §. 56. 58. et 61. Gail. L. II. Obſ. 23. n. 9.* Quod praeſertim eo minns dubii habet, vbi Primogenitus ſponte iuri ſuo renunciat, conſentientibus omnibus iis, quorum intereſt, et, accedente inſuper ſummi Imperatoris voluntate ac approbatione. vid. *Molin. de Primog. L. II. C. I. n. 11. Tiraquell. de Iur. Primog. Quaeſt. 10. n. 18.* add. *Merz a Quirnheim l. c. n. 19.*

IV.

Nec tamen ideo Ius Primogeniturae vel indiuiduitatis Terrarum Auſtr. ſublata.

Etiamſi igitur hoc modo Auſtriaci Regionum atque terrarum ſuarum partitiones interdum inierint; attamen propterea Ius Primogeniturae ibidem haud eſt ſublatum, vel diuiſibilitas Auſtriacorum Territoriorum introducta; tanto minus, quod iſta in poſteris perpetuo non continuauerit, ſed potius vna atque altera ſubinde linea extincta, praeprimis ab aetate Leopoldi Imperatoris, ceſſante cauſarum neceſſitate, ad priſtinam conditionem, et ſub ditionem vnius cuncta iterum hodie reuerſa, atque aeterno nexu ſint coniuncta. Neque etiam animum Auſtriacis vnquam fuiſſe, vt Prouinciae ipſorum in perpetuum maneant diuiſae, luculenter indicant Pacta ſucceſſoria, quibus ita ſollicite proſpexerunt, vt omnes aliquando reunirentur, adempta ſibi inuicem omni extra familiam alienandi poteſtate, excepto ſummae

mae neceſſitatis caſu; vid. Sigiſmundi Ausſpruch zwiſchen Hertzog Ernſt und Albrecht de A. 1411. apud *Lunig. P. S. Cont. I.* von Oeſterreich. *N. XX.*

V.

Deficientibus Maſculis ſuccedunt in Auſtria etiam foeminae

Proximum huic ratione ordinis ſuccedendi in Auſtriacis ſingulare eſt, quod deficientibus maſculis in ſubſidium etiam iure lineali admittantur foeminae: itidem ſecundum Priuilegii Fridericiani verba: *Et, ſi, quod Deus auertat, Dux Auſtriae ſine haerede filio decederet, idem Ducatus ad Seniorem filiam, quam reliquerit, deuoluatur.* Proinde ergo, ſi Glorioſiſſimus Imperator hodie regnans, abſque prole maſcula, (quam a Summo Numine tamen omnes boni Germani exorare ſtudent,) ac non niſi foeminis Principibus relictis, diem obiret ſupremum, ad Illarum natu maximam omnes et ſingulae Auſtriae ditiones peruenirent. Quod ſi etiam ex modo dicta Maieſtate Caeſarea nullae ſuperſtites forent Filiae, tunc quidem ad Ioſephi Glor. mem. Imperatoris Filiam ſeniorem vniuerſa ſucceſſio ſpectaret. Id quod procul dubio intuitu praeſentis Sereniſſimae Familiae Auſtriacae Status, inter reliquas cauſa fuit non poſtrema, ſi non omnium prima, quare ante breuiſſimum adhuc tempus conſilia in Caeſaris Aula, tanta cum praecautione et circumſpectione fuere agitata, de eligendo proco, Principiſſae huic in matrimonium dando, donec id tandem felicitatis prae aliis contigit Principi Sax. Electorali.

VI.

Poteſtas vltimi poſſidentis in

Denique vero et illud Iuris maxime ſingularis atque

Digitized by Google

terras ſuas, ratione alienationis ac translationis caſu, quo familia Auſtriaca tota decederet

que Praerogatiuae Archiducalis locum hic tuetur, quod, etiamſi de Iure feudali prohibita ſit omnis teſtamentaria diſpoſitio, aut inter viuos alienatio rei feudalis, non requiſito Domini directi conſenſu; nihilominus tamen ex Priuil. Frid. I. vltimus Auſtriae poſſeſſor Archidux vel Archiduciſſa, *donandi et deputandi Terras ſuas, cuicunque voluerit, habere debeat poteſtatem liberam, ſi, quod abſit, ſine haeredibus liberis, decederet, ita, vt in hoc nec per Imperium debeat aliqualiter impediri.* Quod Carolus V. his terminis repetiit: **Der Hertzog hat freye Macht, ſein Land zu übergeben und zu verſchaffen, wem er will, ſo er ohne Erb Kinder abgieng, und ſoll daran durch das Reich nicht verhindert werden.** Vnde vlterius liquet, Auſtriacorum Feudorum ad Imperium reuerſionem, vel caſum aperturae et conſolidationis, prius ſperandum non eſſe, quam tota familia cum omnibus per foeminas quoque inde deſcendentibus extincta, et vltimus etiam poſſeſſor, nulla diſpoſitione vel inter viuos, vel mortis cauſa deſuper facta mortuus fuerit. vid. *Henniges ad Cap. Ioſ. art. 31. p. 282. Nitſch. ad eandem art 29. §. 6. Limn. ad Capitul. Carol. V. art. 24. voc.* **aller unſrer Erblande.**

VII.

Occurritur in ſpecie Ludwigii contra hoc Priuilegium cenſurae.

Caeterum nulla ſatis firma apparet ratio, cur hic cenſurae *Dn. Ludwigii in Germ. Princ. L. I. c. 4. §. 6. Lit. m.* locum demus, quando putat: in nimio per conceſſionem huiuſce Iuris ab Imperatore et Imperio peccatum eſſe, ideo, quod facile fieri queat, vt hac ratione Auſtria aliquando deferatur Germanici Imperii hoſtibus. Aequius etenim nobis vtique videtur, attendere hic,

non

non tam, quid fieri poſſit, quam potius, quid Auſtriaci facere velint, aut facere vnquam velle rationabiliter praeſumi queant; itemque, quid ab ipſorum Virtute, Prudentia, atque ſuo erga Patriam totumque Imperium German. amore, pridem notiſſimo, ſit expectandum. Quod ſi dicas: at vero nihilominus citra illorum intentionem ac opinionem ex poſt facto per accidens fieri poſſe, vt ille, cui ita fauore Principis Auſtr. vltimo defungentis delata fuerit Auſtria, hoſtis fiat Imperii; tunc ſane omnium quoque Prouinciarum et Regnorum haereditariorum ſimulatque patrimonialium mos ſiue Ius hoc nomine foret reprobandum; quandoquidem et ibi pariter libera circa futurum ſucceſſorem electio dependet a ſola vltimi poſſidentis voluntate, non obſtante, quod fieri poſſit, vt illa quoque in manus maioris forſan et Patriae et Vicinorum hoſtis, quam amici, perueniant. Et, num quid certiores ac ſecuriores eſſe poſſumus, de illorum affectu ac fidelitate erga Imperium Germ. quos ſaltim hoc ipſum ſiue Imperator beneficio ſuo ad bonorum quorumuis vacantium ſucceſſionem elegerunt atque promouerunt? annon quaeſo iidem ipſi, qui in Reip. Germanicae gremio nati ſunt atque nutriti, omnemque dignitatem ſuam ac potentiam illi debent, ſaepius tamen inimici eiusdem facti ſunt infenſiſſimi, qui poſtea nociua tentarunt omnia; quorum odioſam exemplorum memoriam, quod ex hiſtoria omnis fere aeui fieri facile poſſet, hic repetere vel refricare nil attinet, nec noſtri impraeſentiarum eſt inſtituti.

Digitized by Google

CAPVT VIII.

DE PRAEEMINENTIA SINGVLARI, INTVITV AXIOMATIS IMPERATORII FAMILIAE AVSTRIACAE INDE A TOT SECVLIS COMPETENTE.

I.

Ratio praeſentis adhuc nec non vlterioris inſtituti

Quemadmodum hucusque illa Auguſtiſſimae Domus Auſtriacae Iura Praerogatiua, quae intuitu praeſertim nexus cum Imperio Germanico, potioris momenti videbantur, ſub ſuis quaeque Claſſibus ſiue Capitibus diſtinctis conſideratione paulo prolixiori expendimus; ita quidem ab initio ſtatim ſuſceptae huius Tractationis animus fuerat, adhuc quam plurima alia, quae pariter nonnihil praecipui continerent, varii generis Regalia ac praeeminentias, vt et ea denique, quae praeprimis ipſam Originem, Naturam atque Indolem, nec non Authoritatem et Validitatem, itemque Authentiam, Extenſibilitatem, atque Irreuocabilitatem etc Priuilegiorum Auſtriacorum reſpiciunt, penitius indagare. Sed, cum haec omnia ac ſingula pro materiarum amplitudine ac dignitate, impraeſentiarum ſufficiente opera perſequi haud liceat, niſi ſpecimen hoc Academicum vltra propoſiti rationem et morem nimis adaugere velimus, vti modo iam praeter opinionem excreuit; hinc peculiarem iſtorum diſquiſitionem alii occaſioni ac tempori reſeruamus, quam et, vbi Deus vitam et vires largietur, certo promittimus. Interim vel ex ſolis iis, quae hactenus expoſita, iam abun-

Digitized by Google

abunde colligi poteſt, quam auguſta ſint Sereniſſimae Domus Auſtriacae Iura Praerogatiua, Archiducale faſtigium prae reliquis Imperii Principibus charactere inſigni ſatis diſcernentia. Non poſſumus tamen, quin nihilominus ſaltem adhuc vnicam illam Praeeminentiam vltimo hoc Capite, Coronidis loco ſubiungamus, qua intuitu axiomatis Caeſarei, Archiduces Auſtriae prae omnibus aliis non ſolum Germaniae, ſed imo totius Terrarum orbis Principibus ad hunc vsque diem inclaruere.

II.

Sine exemplo vel pari gloria eſt, Sacro R. I. Auſtriacam Domum per plura ſecula Caeſares dediſſe.

Haec nimirum quoque ſolam Auguſtiſſimam Familiam Auſtriacam Gloria praecipua manet, quod ab aetate Rudolphi I. iam vltra quadringentos annos, et quidem inde a tempore Alberti II. continua ſerie omnes, atque ita plures Imperii Caeſares ac Reges dederit, quam vlla alia Principum Familia. Vtut enim, ad alios quoque ſceptrum Imperii Germ. ſubinde perueniſſe, conſtet: cuiusquam tamen familiam iſtud tam diuturna cum felicitate eademque ſimul laude tenuiſſe, res certe ſine omni plane exemplo meritoque cum Magno *Lipſio* admiranda eſt, qui praeter alia in *Praefat. de Magnitud. Rom. p. 5.* haec in verba tandem erumpit: *Quid in omni retro Principum claſſe ſimile? etc. Iterum dico, mirabile, et quid, niſi a Deo tacita vox et teſtimonium, datam hanc Familiam et demiſſam e coelo in terras eſſe, ad Imperia Terrarum? Reuoluas annales veteres quosuis, et genealogias Principum Chriſtianorum omnium examines licet, haud, puto, in vna ſtirpe reperies tot ſublimia Imperia, tot Diademata et ſceptra, atque in hac vna.* vid. *Sigiſm. Neumann.* Hiſtorie der Oeſterreichiſchen Kayſer. *Fürſtii*

 Aquila

Digitized by Google

Aquila Auſtriaca. Puteani Theatr. Heroic. Imperator. Auſtr. Dn. Fux ab Hernau Memoria glorioſ. Regiae ſtirpis Habſpurg. Bering. de Fortuna Dom. Auſtr.

III.

Quae cauſae, cur per tot ſecula Imperatores non niſi ex Domo Archiducali electi.

Rationes ſi inquiras, quare ita Domum Auſtriacam Aquilae Romanae iam pridem, vbi quaſi nidularentur, delegerint, ſiue, cur Dignitas Imperatoria tam diu penes Sereniſſimam Familiam Archiducalem hucuſque permanſerit, hic illic reperire licet multifarias, nonnullas tamen valde ſpurias, inuidia et calumniis plenas, atque, ſi rem attento animo perpendas, plerumque ab aduerſariis in eiusdem odium temerario auſu confictas. conf. *Virulentus Libellus Hippolithi a Lapide. Item Seuerin. Monzamb. de Stat. Imp. Germ. Cap. II. §. 4. ſeqq. et Titius in Not. ad eund. p. 85.* add. *Iacob. Brunnem. Iuriſp. Publ. Diſſert. VIII. §. 4. et in Exam. Iur. Publ. pag. 36. Lib. 2. Cap. 1. quaeſt. 3. Politicus ſceleratus impugnatus p. 334. et 336.* Ad veras autem et genuinas forſan maxime referendae erunt ſequentes: (1) Moderatus Auſtriacorum animus, quippe qui nec Tyrannidem amant, nec ob praeſcriptas ſibi Capitulationes, ſubinde magis extenſas et rigidiores, exercere poſſunt. conf. *Iac.* von Weingarten Fürſtenſpiegel des Hauſes Oeſterreich. item *Dn. ab Hernau memoria Glorioſa Regiae ſtirpis Habſp. Herm. Kirchner in Moruillerio L. 2. c. 5. n. 83.* (2) Meritorum et Beneficiorum memoria, quae Auguſtiſſima haec domus per tot ſaec. in Imperium contulit. conf. *Georg. Frid. de Bludousky Auſtria Chriſtiani orbis contra Barbaros hoſtes Tutrix! et Templum pacis p. 55.* add. *I. B. Gaupp. diſſ. pecul. de Electione Imp. continens*

Habi-

Google

Habilitatem Perſonae eligendae per tot. impr. th. X. (3) Potentia, Reditus et Situs Regnorum et Prouinciarum propriarum, quibus Familia Auſtr. ſplendori Caeſareo ſuſtinendo, ſimulque repellendis Imperii hoſtibus magis, quam vlla alia, ſufficit. conf. *Limn. L. V. c. 2. Hoernick in Libell.* Oeſterreich über alles, wenn es nur will. (4) Exempla, quibus patet, ſanguinis Caeſarei neglectam propinquitatem, raro ſolidi quidquam boni, vt plurimum vero diſſidia et lites in Imperio ciuiſſe. conf. *Struu. Syntagm. Hiſtor. Germ. Diſſ. XXIV. §. 2. p. 762. ſeqq. item Diſſ. XXV. ſeq.* add. *Gundling.* Geſchicht und Thaten *Henrici VII. L. I.* (5) Turbarum pericula, quibus facile Germania multoties obrui potuiſſet, ſi inuitae Domui Auſtriacae Imperialis Dignitas contra omnia ſua merita ablata fuiſſet. conf. *Monzamb. de Stat. Imp. c. 4. et Titius in not. ibid. Boter. Abbat. 2. Part. Relat. vniuerſ. L. 1. Tit. di Caſa d' Auſtria.* (6) Zelotypia eorum, qui Spartae huic ſuſcipiendae vel nati videri volebant, vel erant.

IV.

Ob easdem vero ſimilesque cauſas tam vrgentiſſimas, credibile omnino eſt, quod pariter in futurum quoque Principes Electores citra omnem alienae ambitionis, vel competitorum quorumuis reſpectum, pro ſingulari ſua prudentia, tenerrimaque in Patriam charitate in ſola Domo Auſtriaca conſtanter atque ita ſaluberrime collationem Dignitatis Caeſareae ſint continuaturi. vid. *Epiſtolica Conringiana p. 243. ſeqq.* quamdiu modo ex Aurea eiusdem ſtirpe ſurculum aliquem ſuperſtitem relinquere ſummo rerum humanarum Arbitro *Quomodo nec impoſterum facile aliud ſperandum nec optandum.*

bitro

Digitized by Google

bitro placebit. Hoc ipſum autem vt fiat, ſane Iudicio cordatiſſimorum Politicorum haud ſolummodo Imperii Rom. Germ. ſed imo reuera totius Europae ac Chriſtiani orbis intereſt. vid. *Dn. de Hein I. P. L. II. Tit. 1. §. 1.*

V.

Votum pro Auguſtiſſima Familia Auſtr.

Proinde etiam finem iam huic Tractationi noſtrae impoſituri, nulli fere dubitamus, quin, vt AVGVSTISSIMO CAROLO noſtro, qui Caput et vnicum adhuc Sereniſſimae Familiae ſuae Columen, ſimulque Imperator hodie cluit, foecundum prole maſcula contingat matrimonium, omnes, et bene, et male affecti, animitus exoptent; illi quidem Virtutis amore; hi vero ſaltem, ne et ipſi forte cum ſuis experiri cogantur, quod profecto non absque ratione timendum, ne ſcil. tam Glorioſae ſtirpis vltimus ſumptuoſis nimium atque cruentis admodum certaminibus ſepulcralibus, nec ſine multarum regionum deuaſtatione, horrendaque Chriſtiani ſanguinis effuſione ſibi parentari poſtulet. Nos vero tandem, qui in hoc piiſſimo voto nulli vnquam cedere cogitamus, *Auguſtiſſimo Arbori Auſtriacae* in CAROLO NOSTRO perpetuo noui Veris vigore efflorescenti, atque creſcenti, nouos indies flores, et Coeli fauores, Exaltationes, Dilatationes, Triumphorum, et Victoriarum ampliſſimos Fructus, vitam et Gloriam, ſola Aeternitate terminandam omni tempore inter primos ex intimi cordis penetralibus apprecari contendemus.

VA 1 1520776

Digitized by Google